Cenyer. [illegible] 207. 221, 316,

N°.

A.

a

C. [illegible]

SYLLOGE OBSERVATIONUM

DE

GALLORUM CHIRURGIA.

G. C. B. SURINGAR,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORIS.

DE

GALLORUM CHIRURGIA

OBSERVATIONUM SYLLOGE.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

1827.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

LUCAE SURINGAR,

THEOLOGIAE DOCTORI ATQUE PROFESSORI, IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, ORDINARIO;

ET

PATRUO DILECTISSIMO

GERARDO TIARDO SURINGAR,

J. U. DOCTORI, ANTIQUITAT. ET PHILOLOGIAE, IN ATHENAEO LINGENSI, PROFESSORI QUONDAM ORDINARIO;

VIRIS

OMNI PIETATE COLENDIS

JUVENILE OPUS

Grato animo offert
AUCTOR.

Vade, Liber, verbisque meis loca grata saluta.

Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic,
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;
Vivere me dices.

Ovidius Trist. Libr. I. Eleg. 1. vs. 15.

PRAEFATIO.

Nimio multi feruntur libros scribendi ardore. En querelam, qua saepius jam auctores et aliorum scribendi libidinem compescere conati sunt, et sibi simul suisque laboribus excusationis quoddam genus conciliare studuerunt. Dum igitur ab hac querela incipio, vereor equidem, ne mihi quoque succenseant nostri temporis Medici utque Chirurgi, aegre ferentes, me observationes Chirurgicas, quarum nulla hac aetate sit inopia, scripsisse et publici juris fecisse. Fateor, talium observationum non quidem adesse inopiam; neque tamen tot, e nostra saltem patria, ad Chirurgiam pertinentia, scripta in lucem solent prodire, ut haec sola ratio scribendi meum consilium mutare, vel me ab eo prorsus absterrere potuerit. Praeterea accusantes forte quosdam habebo, qui, de Gallia scribentem, in alienam messem falcem me immisisse judicent. Ut causam meam dicam, triplex afferre liceat argumentum. Vera nimirum Cosmopolitismi ratio haec aliaque similia, vel non rogata,

om-

omnino permittere atque cuilibet liberaliter concedere censenda est. Ipsa deinde Galliae et Lutetiae Parisiorum praesertim conditio ad observationes Chirurgicas faciendas hujus rei peritum quemlibet, praecipue vero alia ex regione advenas, sua sponte quasi invitat et fere cogit, quoniam ubivis in Nosocomiis magnus est vario modo aegrotantium numerus et frequens hinc cum observandi, tum comparandi et judicandi occasio. Tertium denique argumentum ad me ipsum pertinet. Ex itinere enim, quod, Regis Augustissimi liberalitate, in Galliam primum, in Germaniam dein susceperam, salvus in patriam redux, temporis acti et eorum, quae observaveram atque didiceram, rationem me reddere debere, censui, ne sine aliquo saltem utilitatis fructu per aliquod tempus commoratus fuisse viderer extra patriam, cui utinam et ego possim prodesse et in me transferre illud, quo Graeci quondam usi sunt, proverbium atque praeceptum: Ἣν ἔλαχες Σπάρταν κόσμει.

Quum, recte monente CELSO, *differant pro natura locorum genera Medicinae, et aliud sit Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia, a descriptione regionis, climatis, indolis incolarum, vitae et victus rationis etc., quippe quae in pluribus etiam, qui ad Chirur-*

rurgiae forum pertinent, morbis cognoscendis non parvi facienda videantur, exordium sumere mecum statueram: sat cito autem intellexi, haec, quae ad illustrandas facerent qualescumque, a me conscriptas, observationes, et nimis longum tempus et nimiam scriptionis amplitudinem postulatura. His igitur, quae et aliunde satis facile ac multo melius cognosci possunt, sibi relictis et praemissa tantum Chirurgiae, qualis in Gallia fuit et nunc esse videtur, brevi historia, quam, quum diem doceat dies, usum quemdam habituram esse sperabam, Capitibus aliquot illa explicare conatus sum, e quibus Gallorum Chirurgia optime cognosci et justo pretio aestimari posse videretur. In his observationibus igitur illa indicanda esse putavi, quae ad cujuslibet morbi cum theoriam tum praxin pertinerent, ita ut exinde Chirurgorum in Gallia de singulis, quos memoravi, morbis judicandi et in illis agendi ratio, quantum fieri posset et per virium juvenilium tenuitatem liceret, innotesceret vel saltem confici facile posset. Non autem scripsi, strictiori sensu dictas, morborum historias, in singulis aegrotis, qui ad forum Chirurgorum pertinere censentur, quovis die institutas atque notatas: hoc enim in Nosocomiis Chirurgicis Parisiensibus, in quibus tantus est aegrotorum

 af-

affluxus tantaque temporis in iis observandis penuria, non facile fieri posset, neque illam haberet utilitatem, quam quidem habere videntur ea, quae e facta multorum aegrotorum observatione, e viso remediorum in plures, eodem modo aegrotantes, effectu, uno eodemque tempore eliciuntur, cognoscuntur, institutaque singulorum comparatione, scriptis notantur. Quum autem (*) longum sit iter per praecepta, breve et efficax per exempla, *nonnunquam etiam memoratu digniorem morbi historiam addidi, qua majorem observationibus meis lucem conciliarem, memor verborum Philosophi praestantissimi* (†)*:* » casum omnino sentit et temeritati exponitur, quod exemplis non fulcitur." — *Ad singulorum Capitum praeterea calcem praecipua, quae Gallorum doctrinam ulterius indicare et illustrare possent, memoravi scripta, Dissertationes potissimum, quae vix extra terram, in qua prodeunt, cognosci solent et vel a Gallis ipsis de Chirurgico argumento scribentibus non indicantur, ne dicam, universam Bibliographiam Chirurgicam, quatenus observationes nostras spectat, in Encyclopaedia Medica majori (Dictionnaire des Sçiences Médicales) pe-*

(*) Seneca, Oper. ed. Bipontin. 1782. Vol. III. pag. 14.

(†) Baconis de Verulamio, de Augmentis Scientiarum Libr. II. Cap. 4.

penitus plerumque desiderari. Quod autem utilitatem spectat, quam scripta habent Academica minora, haec certe, ne ad Gruneri, Baldingeri, Schweickhardi *aliorumque, qui Dissertationum Catalogos data opera scripserunt, provocemus auctoritatem, progressus non tantum, quos Chirurgia in Gallia fecerit, docere, verum etiam optime indicare posse videntur, quaenam potissimum ejus partes hoc vel illo lustro artis peritorum ingenium atque industriam excitaverint et exercuerint.*

Quod a tempore, quo Literarum humaniorum ac Medicinae studiis operam navare coepi, optavi semper, speravi saepius, fore, ut aliquando salutarem Artem hac in urbe, alma Musarum sede, exercere eamque in aegrotantium commodum et salutem adhibere possem, id factum esse, dulcem mihi praebet laetitiae sensum. Quid enim diffitear, quod patriae caritas, affinium necessitudo, amicorum benevolentia et usus, dulcis praeceptorum et acceptae disciplinae memoria, loci ipsius, in quo altus et doctus sum, gratia, parentum denique, quos diu diuque mihi servet incolumes Deus, contubernium, et si quae alia accepta et grata mihi contingant, tantum apud me valuerint, ut hoc semper maxime in votis fuerit, et ut peregrinatio, quam per annum institui, votum illud non suppresserit, sed ma-

magis etiam excitaverit alueritque? Quae quum ita sint, nolim me, sorte mea contentum, judices justo severiores, de juvenili opusculo inique sentientes, experturum, quos minus certe metuerem, nisi me ipsum teneret cogitatio, plura leviter et nimis festinante calamo scripta esse, quae melius atque brevius indicari potuissent, si maturius mihi fuisset scriptionis consilium. — Verum sentio, haec neque ad commendandam scriptiunculam, neque ad excusationem quandam eidem conciliandam, facere posse, quapropter Lectorum benevolentiam tantum implorare, atque tum ad juventutem meam et ingenii vires tenuiores, tum ad voluntatem, qua aliis prodesse quaque docilitatem ad doctrinam usque augere studeo, provocare mihi liceat. Antequam autem Praefationem hanc, typis exscribendam, e manibus dimittam, sentio aliquid superesse, cujus rationem Lectoribus reddere debeam. Mirabuntur nimirum, in Sylloge hac, quae contra opinionem ac voluntatem meam in nimium volumen excrevit, pauciora tantum explicari Chirurgiae Capita, plura autem, de quibus nihil dicatur, praetermitti. Consulto ita rationem institui. Nimirum si vitam, otium et vires largiatur Deus, atque a peritis hujus rei judicibus intellexerim, me operam haud inutili im-

impendisse labori, altera Observationum Sylloge in morborum Chirurgicorum, e causa dynamica aut organica oriundorum, explicatione versabitur atque illa simul continebit, quae de Operationum doctrina, plures certe, recentiori tempore, inter Gallos progressus experta, notatu digna fuerint visa. Causa vero, qua factum sit, quod in plerisque morborum, quas narravi, historiis Dupuytreni *nomen legatur, vix a me indicari meretur: Nosocomium enim, quod Hôtel-Dieu dicitur, ad morbos, de quibus Gallorum doctrinam explicare conatus sum, observandos prae reliquis inservire poterat atque debebat. In altera autem Observationum Sylloge, si quae aliquando volente Deo proditura sit,* Alibertum, Biettum, Cullerierios, *et reliquos Lutetiae Chirurgos accuratius cognoscere licebit, quando de Carcinomate, de morbis Cutaneis, Syphiliticis etc. Gallorum merita explicanda erunt.*

Finem Praefationi impono, sperans fore, ut Observationibus hisce pauca saltem conferre liceat ad hodiernum Chirurgiae in Gallia statum paulo accuratius cognoscendum. » *Non autem (ut verba Viri Celeb.* (§) *mea fa-*

(§) Vid. Jos. Eyerel, Observat. Medic. varii argumenti Sylloge I. Vienn. 1794, in Praef.

faciam) » *Non is ego sum, qui ex hisce minutis*
» *opusculis gloriolam aliquam in* me *redun-*
» *dare existimem, cum probe sciam, me iis*
» *dotibus destitutum esse, quibus magni in*
» *describendis morbis magistri, in hac etiam*
» *Civitate, eruditorum orbi inclaruere. De-*
» *est mihi illud in observando acumen, de-*
» *est illa ingenii ubertas, et Celsiana dictio:*
» *non item amor veritatis, candorque ani-*
» *mi, quo tandem omne redit de hoc labore*
» *judicium. Visa scripsi, quamvis prolixius*
» *et inconcinne: et horum quoque minima*
» *pars ad me pertinet. Morbi enim ipsi*
» *aegrotorum pars, medendi methodus Prae-*
» *ceptoris; reliqua, consignatio et sparsae*
» *adnotationes mei, hominis tenuissimi, te-*
» *nuis labor.*"

INDEX CAPITUM.

BREVIS CHIRURGIAE GALLORUM HISTORIA

OBSERVATIONUM CHIRURGICARUM SYLLOGE.

Observationes de morbis quibusdam, e causa mechanica potissimum oriundis.

De

BRE-

BREVIS CHIRURGIAE GALLORUM HISTORIA.

CAPUT PRIMUM.

DE VARIA CHIRURGIAE, IN GALLIA, USQUE AD SECULI DECIMI OCTAVI FINEM, RATIONE AC CONDITIONE.

Pro varia temporum ratione, diversam fuisse, ut aliarum artium ac disciplinarum, ita quoque Chirurgiae conditionem, omnis aevi omniumque populorum tam luculenter docet historia, ut actum agere atque Iliada post *Homerum* canere velle viderer, si rem illam exemplis, ab ultima vetustate repetitis, atque ad nostra usque tempora deductis, confirmare susciperem. Hoc in universum monuisse fuffecerit, ut olim apud Graecos et Romanos aliosque populos antiquos, ita inter recentioris etiam memoriae gentes fere omnes, diversam temporum rationem effecisse, ut majores minoresve haec ars faceret progressus, vel et nonnunquam neglecta jaceret, imo vero e perversis hominum studiis haud parum detrimenti caperet.

Magis faustam, quae a seculo inde decimo sexto obtinuit, Chirurgiae, in Gallia, conditionem quo me-

melius a barbarie, e qua sensim exorta est, discernamus, brevem hujus disciplinae historiam ab ipsis, barbarorum manu, Europâ expulsis Musis incipiamus, ejusdemque fata ad renatas usque in Italia literas cursim prosequamur.

Quibus Chirurgiae, medio aevo, neglectum tribuas, plures certe indicari possunt rationes. Bella nimirum continua, Europam agitantia, et in Italia potissimum gesta, omne literarum, pacem amantium, genus sensim turbarunt, et omnem fere quarumvis scientiarum et artium cultum suppresserunt. Quo tristi fato omnibus fere disciplinis communi, Chirurgia quoque, apud Arabes tantum, maximam imperii Romani partem occupantes, hospitio quodam excepta, non multum exculta, neque majorem instaurationem experta est. Accedit etiam, quod inter hos illi, qui tunc temporis in Italia inclaruerunt, *Hippocratem*, a *Galeno* explicatum, ad verbum plerumque secuti sint, atque horum doctrinam non raro male intellexerint et interpretati sint. Ditissima praeterea Bibliotheca Alexandrina, anno trecentesimo nonagesimo, a *Theophilo* jam multum dispersa atque diruta, anno sexcentesimo quadragesimo, dirissimo tradebatur incendio, quo, sex mensium tempore, plurium annorum labores penitus destruebantur. Ipsis his, quibus Chirurgia propagari et augeri potuisset, monumentis destructis, tantus, ut facile intelligitur, literarum, per universam Europam, fuit neglectus, ut nihil fere praestitum sit, quod Chirurgiam illustraret et in Hippocraticam dignitatem restitueret. Princeps etiam causa, cui Chirurgiae, medio aevo, neglectum

tri-

tribuas, in contemtu posita est, qui Arti huic e barbitonsorum munere accessit. Illorum quippe munus, bellis sacris, adversus hostes doctrinae Christianae gestis, incipientibus, cum Chirurgia jam conjunctum fuisse videtur. Illo nimirum tempore (1092), aegrotantes ac vulnerati in monasteriis sacerdotum et monachorum curae committebantur, quibus, barbam intonsam habere, interdictum fuisse dicitur: in quovis igitur coenobio Tonsor adesse debebat, cui simul, balnea et cucurbitas aegrotis administrare, officium erat impositum. Monasteriis non sufficientibus, in quae aegroti reciperentur, cum medendi munere illud Tonsoris simul in profanorum manus transiit, utrique officio plerumque simul satisfacientium. Quemadmodum in magnum fuit Chirurgiae detrimentum, quod, medii aevi tempore, hanc profiteri Clericis (1) tantum licuerit, eandem ad doctrinam de unguentis, emplastris et carminibus, deprimentibus; ita majorem, quam plena ejusdem secuta est barbaries, Chirurgiae intulit cladem Concilium Turonense, quod, seculo duodecimo, papa *Alexandro tertio* praeside, quascumque sanguinolentas, quae dici solent, operationes, cum Ecclesia a sanguine abhorreat, Clericis interdicere non dubitavit: ac si, qui, ad ipsum hominem servandum, sanguinem humanum fundit, *hoc* non excipi deberet Ecclesiae anathemate, propter inania religionis dis-

(1) Vid. Histoire litéraire de la France, par des religieux Benedict. de la Congregation de St. Maur. vol. III. pag. 165. IV. pag. 274. VI. pag. 44, 66.

dissidia hominum sanguini, tempore illo, parcere non solitae. Postquam ab ipsa Ecclesia proscripta esset Chirurgia, eadem ab infimis hominibus exerceri coepit, e disciplinarum numero quasi ejecta, quaestuaria ac mechanica ars facta est. Chirurgia et Medicina itaque, quarum utraque pari hucusque studio solebat diligi, dum par et matri et filiae erat nobilitas iidemque habebantur honores, nunc penitus divulsae et separationem expertae sunt, quae, ad nostra usque tempora, in Chirurgiae detrimentum redundavit illique semper nocebit (1).

Quae Chirurgiae neglectus causae quum medio aevo exstiterint, non mirandum est, hanc, communi barbarie suppressam, servilem semper fuisse, et vix aliquid habuisse, quod illi proprium, neque ab aliis mutuatum, dicere possis. Quamvis enim inter Arabes nonnulli Chirurgi inclaruerint, atque inter Italos postea in Schola Salernitana et in illis, quae Veronae, Boloniae et Paduae floruerunt, Artem nonnulli professi sint atque docuerint, haec tamen penitus fere neglecta jacuit et parvos fecit progressus. Dum hic in Italia studiorum ade-

(1) „Chirurgia, Artis Medicae mater, diu et strenue ante inventam Medicinam, stricte dictam, exculta, eam, proh dolor, habuit sortem, quod a filia, quam quasi enixa est, fuerit contemta, male habita, a reliquo artis corpore sit avulsa, a Clinicis despecta et ministris, rerum minus peritis hominibus, sit derelicta." Vid. E. Sandifort Oratio de Officio Medici perquam difficili, a multis pessime neglecto: quae inven. pone Descript. Oss. human. L. B. 1785. pag. 172. Conf. Discours prononcé par le Prof. Kluyskens, à l'ouverture de son Cours de Chirurgie, in Annal. Ac. Gandavensis, an. 1817—18. Conf. Hallé, Sur l'importance de la réunion de toutes les parties de notre art etc. Paris 1815.

aderat languor. eadem res erat in Gallia, in qua et Medicina et Chirurgia, a se invicem penitus divulsae, prorsus languebant. Intelligi hoc poterit e verbis *Lanfranci*, quibus in *Chirurgia Magna* (1) utitur: « Anno 1295 perveni Parisios, et o Deus! « quare sit hodie tanta differentia inter Physicum « et Chirurgum, nisi quoniam Physici manualem re- « liquerunt, aut quoniam, ut dicunt quidam, ope- « rari manibus dedignantur, aut, quod magis credo, « quoniam operationis modum necessarium non no- « verunt." *Lanfrancus* nimirum, Mediolani natus et *Guilielmi de Saliceto*, Veronensis Professoris, discipulus, Guelphorum et Gibellinorum factionibus, quarum particeps fuerat, a *Matthaeo* Vicecomite ex Italia pulsus, una cum aliis doctrina conspicuis Chirurgis, in Galliam se recepit, et primo Lugdunum ac dein Parisios venit, ubi in novo Chirurgorum Collegio vel Societate, quae, anno 1271, *Johanne Pitardo* praeside, formata erat, lectiones Physicas habuit et demonstrationes Chirurgicas publice fecit, dum ipso practico Chirurgiae usu non parum inclaruit (2). Quemadmodum hoc *Lanfranci* exemplo probatur, nullum tempus ne vel cogita-

(1) Practica, quae dicitur Ars completa totius Chirurgiae. Venet. 1490. fol.

(2) Vidd. Recherches Critiques sur l'origine, sur les divers états et sur les progrès de la Chirurgie en France. Paris 1744. 4to. pag. 35 seq. in not. Index Funereus Chirurgorum Parisiensium, etc. opera M. J. D. V. (de Vaux) l. l. additus, pag. 534 seqq.

K. Sprengel's Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneykunde, II. Theil, edit. 3tiae, Halae 1823. pag. 591 seqq.

A. Halleri Bibliothec. Chirurgic., Tom. I. Bernae 1774. pag. 149 seqq.

tari posse adeo injustum aut sterile, quod non unum saltem protulerit virum, reliquis doctiorem, et ad scientiae suae progressus aliquomodo saltem augendos idoneum (1), ita idem hoc docet, qui seculo decimo quarto vixit, *Guidonis de Cauliaco* exemplum, a loco natali sic nominati. Hic quippe in pago Cauliaco natus, circa medium seculum decimum quartum, quo parva fuerunt Chirurgiae aliarumque doctrinarum incrementa, in monte Pessulano, urbe, quae jam tunc temporis in Gallia inclaruerat, Chirurgiae operam navavit et hanc artem etiam per aliquod tempus docuit, dum eandem postea Lugduni exercuit, in qua urbe, tempore dirissimae pestis, quae anno 1348 saeviit, quartum quemvis hominem interficientis, moratus est. Tandem Chirurgiam exercuit Avione, dum primo papae *Clementis* VI, postea *Innocentis* VI, et denique *Urbani Quinti* Chirurgus fuisse dicitur. Quid in Anatomicis et Chirurgicis (2) praestiterit, optime probare potest, quam modo laudavimus, Encyclopaedia Chirurgica, quippe quae, ante centum adhuc annos inter classica de Chirurgiâ scripta referri solita, plura, si temporis, quo scripta, rationem habeas, contineat, auc-

(1) Ita ut dissentiamus ab Hallero (Bibliothec. Chirurgic. Tom. II. pag. 1. Bernae 1775.) dicente: „In Chirurgicis, nescio quomo- „do, factum est, ut vix unquam perinde ut in aliis Medicinae parti- „bus, magnus aliquis vir eminuerit, qui late posteros sequaces ha- „buerit."

(2) Precis sur la structure du corps humain. Le Maitre en Chirurgie, ou l'Abbrégé complet de la Chirurgie, par Guy de Chauliat. Avignon (1363). Guido de Cauliaco, Chirurgia magna, Lugdun. 1685. 4to. Chirurgiae Tractatus septem, cum antidotario. Venet. 1470.

auctorem satis doctum et ingeniosum probantia. Neque ipse, optimus hac in re judex, *Fallopius* *Guidonem de Cauliaco* cum *Hippocrate* comparare dubitavit (1), dum *Lorryus Guidonem* dignum judicavit, qui, nostro etiam, quod vivimus, tempore, magnos caeterum Artis progressus experto, auctoritate sua fruatur. *Guido* enim, Anatomes, quamvis rudioris et imperfectioris, luce ad Chirurgiam explicandam usus, hanc adeo perfecit, ut eodem fere jure, quo *Mundinus* Anatomes, Chirurgiae suo tempore instaurator haberi mereatur.

Guidonis doctrinam non tantum per plures annos docuit, sed ejusdem etiam de Chirurgia Tractatus, innumeris librariorum mendis refertissimos, novis iterum commentariis, ex *Hippocrate*, *Galeno*, *Paulo*, *Aetio* et *Celso* potissimum petitis, illustravit *Joannes Tagaultius*, peritissimus tempore suo Chirurgus, qui, e Picardia oriundus, Medicinam atque Chirurgiam Parisiis didicisse, et postea cum insigni laude docuisse, dicitur (2).

Quod in vita humana quandoque fieri solet, hominis nimirum incrementum, post pueritiam et juventutem florentem peractas, ilico et uno quasi impetu sisti ac cohiberi, idem in artibus ac scientiis non raro obtinet, quarum nempe progressus temporum injuria ita possunt reprimi ac retardari, ut

a

(1) Conff. illa, quae habet Freindius in Histoire de la Médecine etc. Tom. III. pag. 163 seqq. edit. in 8vo. Leide 1727.

(2) Commentariorum de purgantibus medicamentis simplicibus Libri duo. Parisiis 1537. 4to. De Chirurgica institutione Libri quinque. Paris. 1543. fol. Metaphrasis in Guidonem de Cauliaco. Parisiis 1545. 8vo.

a juventute sua nunquam vel tarde ad aetatem virilem perveniant. Eadem fuit Chirurgiae ratio. Haec quippe, post felicem suam infantiam, in incremento ulteriori faciendo tantas non raro invenit difficultates, ut lente admodum ad serotinam pervenerit aetatem illam virilem, vita ante acta edoctam et viribus satis valentem, quali nostris gloriamur temporibus. Infausta autem temporum ratio, quae Chirurgiae incrementa retardavit, varia non tantum pro vario obtinuit tempore, sed maxime etiam, pro regionum differentia, eodem tempore, fuit diversa. Docent hoc in primis Chirurgiae, quae post propulsam medii aevi barbariem experta est, fata. Seculo nimirum decimo quinto, humaniores literae restitutae, et in Italia quasi renatae, universam fere Europam praestantiori luce sensim illustrantes, novam Chirurgiae quoque instaurationem conciliarunt. Philosophiae, et solidioris cujuscumque doctrinae, e Graecia in Italiam migratio; pulveris pyrii et sclopetorum frequentior usus; Typographia inventa; doctrinarum, quae Chirurgiam illustrare potuerunt, melior hoc tempore ratio; veterum scriptorum, artis salutaris praecepta continentium, majus et felicius studium; egregii tandem auctorum, qui in Anatome excelluerunt, labores, auxilia fuisse videntur, quae suam, seculo decimo quinto et primis hoc insequentibus temporibus, ad hanc Chirurgiae conciliandam instaurationem tribuerint partem. Hisce auxiliis dum in Italia (1) potissimum, sub coelo placido atque se-

(1) Conf. Frid. Christ. Cregut, De Italorum in Rempublicam Li-

sereno, mira Chirurgia percipit incrementa, in Gallia eadem non magnos facit progressus, dum nulla erant Instituta, in quibus Chirurgi apte possent formari, atque hi a regibus ipsis et populo opprimerentur. Infausta haec Chirurgiae, in Gallia, conditio ad seculum decimum sextum perstitit, atque, vel hujus initio, nondum in melius erat mutata. Sic anno v. c. 1506 ipsi Medici Parisienses apud *Bulaeum* (1) profitentur: *Parisiis adeo magna est penuria Chirurgorum, ut vix invenias tres aut quatuor, qui ad gradum Magisterii Chirurgiae ascendere possint.*

Sed tristem hanc Chirurgiae conditionem mittamus et laetiora ejusdem fata intueamur.

Seculo decimo sexto, in universo fere Occidente, praecipue vero in Gallia, florere iterum coepit, efficacissima salutis humanae praeses, Chirurgia, dum pristina illi, solertius excultae, de novo tributa est dignitas atque auctoritas. Atque hoc in primis *Francisci primi* auctoritate factum est, qui, Concilii Turonensis mandata parvi faciens, Chirurgiae iterum eadem, quae Scholae Parisiensi fuerant, jura ac privilegia dedit. Ad quam Chirurgiae, qua ab anno 1544 gavisa est, conditionem intactam servandam multa contulit *Ambrosius Paraeus*, Lavallaeus, qui, ab anno 1551, magnis suis ani-

Literariam, praecipue vero Medicam, meritis maximis; quae Praefatio est ad Caesaris Magati de Rara Medicatione Vulnerum etc. Libros duos; Francof. Lips. et Amstel. 1733. 4to.

(1) Histor. Universitatis Parisiensis, Tom. VI. pag. 36. Parisiis 1665. fol.

animi dotibus et Principum, quem experiebatur, favore, Chirurgiae jura strenue defendit illique magna simul incrementa conciliavit. Ipsi autem reges, qui seculo decimo sexto in Gallia regnarunt, artium et scientiarum fuerunt fautores, atque Academiarum, quae Lutetiae et Montepessulani florebant, commoda curarunt, *Franciscus* nimirum *primus*, *Henricus secundus*, *Franciscus secundus*, *Carolus nonus*, *Henricus tertius* et, qui ad annum usque 1610 strenue regnavit, *Henricus quartus*. Sed ad *Ambrosium Paraeum* revertamur, qui, seculi decimi sexti initio natus, et anno 1590 mortuus, Chirurgiae quasi in patria sua pater et auctor dici meretur. Hic scilicet, post obitum *Thieri*, qui ipsius amicus fuerat, ejus vestigiis majori studio insistens (1), experientiam magistram secutus, atque hanc, quatuor regum Consiliarius et Chirurgus primarius, Gallorum exercitum praeterea in Italiam secutus, consulere et interpretari edoctus, ea habuit de Chirurgia merita, quae vix digno satis praeconio laudari ac celebrari possint. Singulari huic in Arte peritiae libertatem suam, et dein vitam ipsam, unice debuit *Paraeus*. Nam Hesdini Castello Imperatoris *Caroli Quinti* copiarum impetu expugnato, *Paraeus*, captivus etiam factus, in partem obtigit Germanicae legionis Praefecti, a quo, propter varicosi ulceris in tibia, quo jam diu ille immane erat vexatus, sanationem, hujus pretio, libertatem recuperavit et honorifice domum dimissus est. Idem ip-

(1) Vidd. Mémoires de l'Academ. de Chirurgie, Tom. IV. pag. 8.

ipsius *Caroli Noni*, cui brachium, propter tendinem bicipitis, ab *Antonio Portailio*, venae sectionem instituente, vulneratum, periclitans servaverat, auxilio, horrenda illa, quae a sancto Bartholomaeo nomen habet, nocte, armis, sanguine humano jam conspurcatis, non occubuit, Calvini partibus quamvis addictus, sed maximo vitae periculo ereptus est Ille, cujus arte et dexteritate plurium vita servari, et corporis integritas posset restitui. Eodem igitur a *Carolo Nono Paraeus*, quo *Pindarus* olim ab *Alexandro Magno*, Thebas expugnante, habitus est honore. Diu in illorum, inter quos vixit, commodum, artem salutarem exercuit ejusque praecepta, cum uberrimis experientiae fructibus conjuncta, et ditissimum Praxeos Chirurgicae thesaurum exhibentia, nobis, quos posterior protulit aetas, senex jam factus, reliquit (1), cum magno sui desiderio. *Ambrosius Paraeus* enim, praecellenti ad Chirurgiam genio natus, et magnis a Natura dotibus instructus, ipsorum regum, quibus feliciter saepius mederi solebat, patronatum et favorem expertus (2), divitem adeo praxeos Chirurgicae habuit experientiam, ut, si ejus de Chirurgia Tractatus legamus, nus-

(1) De singulis Paraei scriptis consulas Halleri Bibliothecam Chirurgicam, Tom. I. pag. 197—203. Nobis laudasse sufficiat, Oeuvres d'Ambroise Paré, conseiller et premier Chirurgien du Roi, divisées en vingt-huit Livres; 4me edit. Paris 1585 fol. Editio latina, curante Jacobo Guillemavio, prodiit Parisiis 1582. fol. Hollandica, Harlemi 1627.

(2) Non tantum favorem, sed ipsam amicitiam Henrici secundi expertus est, atque, in Henrici tertii usum, Tabulas Anatomicas et instrumentorum Chirurgicorum figuras, una cum explicatione, anno 1579 edidit.

nusquam non indicia inveniamus certissima, ex quibus pateat, illos, ad experientiae et observationum auctoritatem, sine subtilis Theoriae argutiis, scriptos esse. Quemadmodum copiosam Anatomes et Chirurgiae penum, ipse manum operi admovens, in Nosocomio Parisiensi sibi comparavit, ita procul dubio multum illi profuerunt peregrinationes, cum Gallorum exercitu extra patriam institutae. Harum enim auxilio, uti alia multa Chirurgiae capita potuit illustrare, veram invenisse videtur vulnerum sclopetariorum theoriam, ante *Ambrosii* tempora falsis pluribus et erroneis auctorum sententiis obfuscatam, hujus autem experientia luce clariori illustratam et verius explicatam (1). Experientia quippe, quam castra militaria saepius praebebant, *Paraeum* docuit, quomodo globi sclopetarii, in corporis parte, aditum difficiliorem habente, relicti, inveniri et extrahi possint, et quaenam vulneribus hisce medela fieri debeat: non olea nimirum ferventia, quae, prae veneni metu, confestim immittere solebant, vulnerum ustione dolorem summum facientia et vario praeterea titulo maxime nociva, verum remedia potius digestiva leniora vulneribus sclopetariis imponenda esse (2). In haemorrhagiis, ad quas

(1) Carolus nonus, Medicos de causa interrogans, qua fiat, ut tot in bello vulneratos mors abripiat, responsum accipit, hoc veneno fieri, quod e pulvere pyrio evolvatur; Paraeus ad hanc regis quaestionem respondet, mortem e membrorum concussione, quae globorum vi et velocitate oriatur, explicari debere.

(2) Vid. A. Paré Manière de traiter les playes d'Arquebusade et fleches. Paris 1551. 8vo. Conf. Maggi, de Vulnerum, bombardorum et solopetorum globulis illatorum, et de eorum symptomatum curatione. Bonon. 1551. 4to.

quas sistendas, in vasis urendis auxilium tantum quaerere solebant Chirurgi, immediatam arteriarum ligaturam instituit, cujus methodi, quamvis, *Jacobo Guillemavio* Aurelianensi, Paraei discipulo et amico singulari, excepto, a nemine initio instituta sit, sed gravissimos obtrectatores (1) invenerit, praestantia abunde postea innotuit. Pharyngotomo inveniendo optime etiam de Chirurgia meritus est, dum bronchotomiam illum, cum optimo successu, instituisse constat. In morbis, curatu tunc temporis difficilioribus, sanandis nova non raro usus est methodo, quemadmodum v. c. in fistula stercorali, per ligaturam sananda, in tumore oedematoso, fascia expulsiva delendo etc. Verum quid multa? Nostrum non est, pluribus exemplis afferendis, *Ambrosii Paraei* laudes praeconio quodam concelebrare; Ipse, quamvis mortuus, in scriptis suis tamen vivens et nobis superstes, partes suas agere velit, et ipse laudem, quam semel partus est, nostris etiam temporibus jure suo tueatur!

Ambrosii Paraei amicus fuit *Laurentius Collotus* (cum *Germano* et *Philippo Colloto* non confundendus), de quo, antequam pergamus, pauca erunt dicenda. Casu quippe, ut homines loqui solent, fortuito *Collotus* hic primus Galliae fuit lithotomus, quod ut intelligatur, breviter temporum illorum his-

(1) Prae caeteris se objiciebat Gurmelinus, qui, quum Paraei nec doctrinam nec consilium impugnare posset, eum rudem nominabat, imperitum, inconsideratum, et vero etiam crudelem, ut qui hanc lanienam ac carnificinam (ipsa Gurmelini verba sunt) exerceret. Parum haec obtrectatio Fabricio Hildano, Sculteto aliisque valuit, rationis illius praestantiam docentibus.

historiam narrare liceat. Seculi decimi sexti initio, i. e. anno fere millesimo quingentesimo vicesimo quinto, ante quod tempus calculum vel Arabistarum more secabant, vel remediis internis frustra destruere conabantur, Vir quidam, magnis divitiis instructus, sed vesicae calculo simul laborans, atque neminem, qui huic mederi posset, Lutetiae Parisiorum inveniens, ex Italia lithotomum celebrem, *Octavianum de Villa* dictum, *Mariani Sancti* Barolitani, circa annum 1500 Romae et Paduae Medicinam facientis, discipulum, multa pecunia promissa arcessebat, ab eodem secabatur atque sanatus est, dum eodem simul ejusdem morbi levamine fruebantur magistratus duo, qui vesicae calculi incommoda diu experti erant. Italus ille, *Octavinus de Villa*, iter suum in Galliam faciens, atque a *Laurentio Collo-to*, qui, in Campauiensi Galliae parte, in oppido quodam, Chirurgiam faciebat, comiter admodum exceptus, eundem arcani sui socium fecit atque hac ratione artem illum docuit, lucra majora promittentem. Artem semel edoctus, ita mox inclaruit, ut anno 1556 ab *Henrico secundo* Parisios vocatus et aulae lithotomus factus sit. Calculum saepius secuit *Laurentius Collotus*, dum ipsum secandi arcanum per centum, et quod excurrit, annos, inter duos ejusdem filios, et postea inter nepotes, haereditarium mansit (1). Eodem fere, quo *Collotus*, tempore, calculosos in Gallia, et postea quoque Lausannae ac Bernae, secuit etiam *Petrus Franco*, qui per

(1) Vid. Fr. Collot, Traité de l'Opération de la taille. Paris 1727.

per altum apparatum, ab *Archigene* commendatum, cystotomiam instituisse, in faeminis autem urethrae Dilatatorio usus dicitur, quique primus justam sanandae herniae incarceratae methodum indicavit (1).

Ex *Ambrosii Paraei* morte eo majorem Chirurgia in Gallia cladem percepit, quominus neminem haberet, quem tanti Viri dignum successorem nominare posset. Quamvis enim, ut alios, in *Indice Funereo Chirurgorum Parisiensium* (2) indicatos, mittamus, post *Paraeum* floruerint *Guillemavius*, *Pigraeus*, *Covillardus*, *Cabrolius*, *Habicotus* et alii, horum tamen, quae ad Chirurgiam pertinent, scripta ejusmodi sunt, ut cum *Paraei* Opere

(1) Vidd. Pierre Franco, Traité, contenant une des parties principales de Chirurgie, laquelle les Chirurgiens herniaires exercent. Lyon 1556. 8vo. Traité des hernies, contenant une ample declaration de toutes leurs espèces, et autres excellentes parties de la Chirurgie; à savoir de la pierre; des cataractes des yeux et autres maladies, avec leurs causes, leurs accidens, anatomie des parties affectées, et leur entière guérison. Lyon 1561. 8vo. — Qua P. Franco usus est, calculi secandi methodum accurate descripsit et emendavit Roussetus, in Traité nouveau de l'hysterotomokie, ou enfantement césarien. Paris 1581. Cap. VII. Methodus haec, quae post Franconem, per viginti, ut patet, annos penitus jacuit neglecta, in Anglia a Probyo, Jacobo et Johanne Douglassio, Cheseldeno et aliis instituta, in Gallia, a Bonneto, Nosocomii, Hôtel-Dieu, Chirurgo quondam primario, in usum vocata (Vidd. Recherch. sur l'origine etc. de la Chir. en France, pag. 432.), fautores potissimum habuit Nicolaum Pietré, Medicum Parisiensem (Dissertatio, an ad extrahendum calculum ad pubem dissecanda vesica? Paris 1635.) atque Morandum (Traité de la taille au haut appareil; par F. S. Morand. Paris 1728), inter nostrates demum illam laudarunt et instituerunt Cornelius van Solingen atque Sermesius.

(2) Vid. l. c. pag. 549 seqq.

re minime comparari possint. Quae quamvis ita esse videantur, de illis tamen breviter etiam dicamus, quum et sua quisque illorum habeat merita, et, si non flores, folia saltem ad Chirurgiae coronam contulerit.

Ambrosii Paraei discipulus fuit *Jacobus Guillemavius*, insignis probitate Chirurgus, qui, Aureliani anno 1550 natus, et anno sequentis seculi nono Parisiis mortuus, Anatomen a *Riolano* edoctus, *Paraeum*, a quo Chirurgiam didicerat, in omnibus fere proeliis secutus est. Postea Domûs Dei, quae Parisiis est, Chirurgus factus, atque arte sua regibus etiam *Carolo nono*, *Henrico tertio* et *Henrico quarto* inserviens, non parum tunc temporis in Gallia inclaruit. Novas auxilia Chirurgica administrandi methodos invenit, atque has etiam in scriptis suis indicavit (1).

Ex *Ambrosii Paraei* schola quoque progressus et hujus principia Chirurgica atque de arte doctrinam (si vasorum deligationem et alia forte pauciora excipias) professus, seculo decimo sexto Chirurgiam, cum in urbe, tum castra secutus, exercuit *Petrus Pigraeus*, qui *Henrici* IV et *Ludovici*

(1) Jacques Guillemeau, La Chirurgie Francaise, receuillie des anciens Médecins et Chirurgiens, avec plusieurs figures des instrumens necessaires pour l'opération de la main. Paris 1594. fol. Cujus Operis editio Hollandica prodiit, inscripta: J. Guillemeau de Fransoische Chirurgie of alle de Manuale Operatien etc. door C. Battum. Dordr. 1598. fol. Les Operations de Chirurgie par Guillemeau. Paris 1607. fol. Les Oeuvres de Chirurgie de Jacques Guillemeau. Rouen 1649. fol. Chirurgiae, a Paraeo scriptae, editionem curavit latinam.

ci XIII Chirurgus fuit primarius, quique, praeter Operis, a Praeceptore scripti, Epitomen (1), alia quaedam edidit (2), atque anno millesimo sexcentesimo decimo tertio mortuus est.

Josephus Covillardus, graviorum quarundam operationum felici administratione celeber, ad hasce faciendas a civibus suis et exteris etiam frequenter arcesseri solebat, atque lithotomiam saepius, cum felici eventu, instituisse perhibetur, dum de methodo ipsa, qua usus videtur, lis est inter Viros doctos, quorum dissensum nostrum non est componere. Magnus Anatomes cultor fuisse, et habilem manuum et instrumentorum usum cum ingenio practico conjunxisse, dicitur, dum Medicorum et Chirurgorum Lugdunensium consiliis uti et haec vicissim dare solebat (3).

Bartholomaeus Cabrolius inter seculi decimi sexti Anatomicos et Chirurgos recenseri quoque meretur. Hic quippe in Monte Pessulano Medicinam atque Chirurgiam edoctus, ibidem, regia *Henrici* IV voluntate invitatus, Anatomen publice docuit, atque doc-

(1) Petr. Pigraei Chirurgia cum aliis Medicinae partibus conjuncta. Paris. 1609. 8vo. in cujus Operis Dedicatione Henrici quarti humanitas et Literarum studium laudantur.

(2) Pièrre Pigray, Chirurgie mise en Théorie et en Pratique. Paris 1610. 8vo. Petri Pigraei Epitome praeceptorum Medicinae, Chirurgiae etc. Parisiis 1612. Opusculi hujus Gallica, Hollandica et Italica exstat versio.

(3) Joseph Covillard, Observations iatro-chirurgiques pleines de remarques curieuses et événements singuliers, Lyon 1639. 8vo. Strasbourg 1791. 8vo. Le Chirurgien Opérateur, Lyon 1633. 8vo. ibid. 1640.

doctrinam Chirurgicam observationibus quibusdam ditavit (1).

Quae de *Cabrolii* in Anatomen et Chirurgiam meritis diximus, eadem transferri possunt in *Nicolaum Habicotum*, Rothomagensem, qui fine seculi decimi sexti vixit, et Anatomes atque Chirurgiae cognitione inclaruit (2).

Quemadmodum, seculo decimo sexto ad finem vergente, cum *Ludovicus Decimus* tertius imperium teneret, nonnullos quidem, nec insignes tamen, Chirurgia in Gallia fecit progressus, quum Cardinalis *Richelius*, aliis magis artibus ac scientiis, quam Chirurgia, provehendis, laudi suae apud posteritatem prospexerit; ita, *Ludovico decimo quarto* regnante, nullo modo auctam et perfectam Chirurgiam esse, dolemus. Atque hoc eo quidem magis mirandum est, quum, eodem tempore, aliae artes ac scientiae mira in Gallia ceperint incrementa, atque Rex certe, perpetuis bellis implicitus, Chirurgiae utilitatem propius aestimare, didicerit. Quid autem, ea aetate, de Chirurgia in Gallia actum sit, breviter indicemus.

Seculo decimo septimo, quo, junctis tot Chirur-

(1) Barthélemi Cabrol, Alphabet Anatomique. Tournon 1594; cujus Operis plures sunt editiones. Latine scriptum est, hoc titulo: Alphabeton Anatomicum, id est, Anatomes elenchus accuratissimus, omnes humani corporis partes, ea, qua secari solent, methodo delineans; accessere Osteologia, observationesque Medicis ac Chirurgis perutiles. Venetiis 1604. 4to. Vid. etiam Collegium Anatomicum Clarissimorum trium Virorum Jacobini, Severini, Cabrolii. Francof. 1668. 4to.

(2) Semaine Anatomique. — Question Chirurgicale sur la Bronchotomie. Paris 1620.

rurgorum illustrium industriae et doctrinae laboribus, Chirurgia, in Italia, Anglia, Germania atque Hollandia, luce clariori illustrari coepit, eadem haec in Gallia nulla fere cepit incrementa; sed, sibi relicta, a majori, qua jam gloriari potuerat, perfectione recessit. Exiguo nimirum, quo huic arti frui licebat, principum patrocinio (1), ipsorum Chirurgorum defectu, atque ipsius Chirurgiae contemtu (2), factum est, ut non eos seculo decimo septimo in Gallia fecerit progressus, quos alioquin facere potuisset atque debuisset. Tempore enim, quo, sanguinis circulatione ab *Harveyo* detecta, et Philosophia a *Cartesio* novum nacta splendorem, *Richardo Wisemanno* (3), *Caesare Magato* (4), *Matthia Godofredo Purmanno* (5), atque tot aliis Chi-

(1) Sic anno v. c. 1648 Collegium pictorum, Ludocici XIV voluntate, a caeteris mechanicis artibus separatur, dum contra, Chirurgiam illis subesse, Rex Ludovicus patitur.

(2) Chirurgiae contemtum e barbitonsorum munere, cum illa conjuncto, praecipue explicandum esse, atque hanc conjunctionem jam a primis fere Chirurgiae incunabulis locum habuisse, antea jam monuimus. — Ab Ambrosii Paraei autem tempore, quem habilem regis sui tonsorem fuisse constat (Vid. Beer, Biblioth. Ophthalmic. Tom. I. pag. 91), barbae humanae cura, ab illa capillamenti divulsa, de novo cum Chirurgia, per nexum satis ineptum, conjuncta est et tristes huic intulit clades, dum ignominiosam reddidit artem, omnium certe venerationе dignissimam. Neque melior erat Chirurgiae, sub Ludovico decimo quarto, conditio: Chirurgi enim, quamvis literati, opprimebantur, in aula contemnebantur et cum barbitonsoribus sese unire cogebantur.

(3) Several Chirurgical Treatises, London 1676. fol. 1719. 8vo. Wisemanni laudatio videatur in Camperi Demonstr. Anatom. pathol. Libr. I. pag. 6.

(4) Caes. Magati de Rara Medicat. Vulner. etc. l. l.

(5) Chirurgischer Lorbeerkranz, oder grosse Wundarzney, Erf. 1691.

Chirurgis, inter principes jure referendis, gloriabantur Anglia, Italia et Germania, atque quo, in Hollandia, patriam artem tuebantur *Jobus a Meekren* (1), *Cornelius van Solingen* (2), *Cornelius Stalpaart van der Wiel* (3), *Paulus Barbette* (4) et, ne de aliis dicamus, Anatomicorum princeps *Fredericus Ruyschius* (5), in Gallia Chirurgiae aetas fuit ferrea, dum eadem neglecta jacuit adeo, ut homines tantum indocti atque rudiores eam tempore illo exercuisse videantur (6). Si enim *Bellostium*, *Dionisium* et *Saviardum* excipiamus, Gallia Chirurgis fere destituta inveniebatur, qui Artem, ab *Ambro-*

1691. 4to. Curiosae Observationes Chirurgicae, Lipsiae 1710. 4to. Chirurgia Curiosa, Erf. 1716. 4to. Reliqua scripta videas in Biographie Médicale, Tom. VI. pag. 513 seq. in v.

(1) Heel en Geneeskonstige Aanmerkingen, Amsterd. 1668. 8vo. lat. edit. ab Abrahamo Blasio, Gerardi fil. Amstel. 1682. 8vo.

(2) C. v. Solingen, Miscellanea Chirurgica, Ultraj. 1677. 4to. Manuale Operatien der Chirurgie etc. Amst. 1684. 4to. Alle de Medicinale en Chirurgische Werken etc. Amsterd. 1698. 4to.

(3) Observationum rariorum Medicarum Anatomico-Chirurgicarum Cent. I et II, Lugd. Bat. 1687. 2 voll. 8vo.

(4) Chirurgie of Heelkonst na de hedendaagsche Praktijk beschreeven, Amst. 1657. 12mo. Latin. reddit. a Jacobo Muys, Amstelod. 1673. 8vo. Opera Anatomico-Chirurgica, ad circularem sanguinis motum, aliaque recentiorum inventa, accommodata; accedit de Peste tractatus etc., L. B. 1672. 12mo. Opera Omnia Medica et Chirurgica etc. opera et studio Johannis Jacobi Mangeti, Lugd. Bat. 1672. 8vo.

(5) Observationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria, Amstel. 1691. 4to. Adversaria Anatomico-Chirurgico-Medica, Dec. I. II. III. Amstel. 1717—1723. 4to. Opera omnia Anatomico-Medico-Chirurgica, Voll. V. Amstel. 1737. 4to.

(6) Vid. Guy-Patin, Lettres choisies etc. nouvelle édit. Vol. I. Paris 1692. 12mo.

brosio Paraeo acceptam, conservare illamque novis observationibus illustrare et promovere possent. Haec tamen, quantum per temporum injuriam licuit, praestare studuerunt *Bellostius*, *Dionisius* atque *Saviardus*, qui certe digni sunt, quorum mentionem breviter faciamus.

Inter Chirurgos, qui exercitum et castra militaria cum laude secuti sunt, celeberrimos jure certe referri meretur *Augustinus Bellostius*, qui anno 1654 natus est, et anno 1730 Turini obiit. Cujus auctoris scripta, nobis relicta, legentes, ingeniosa saepe artis praecepta, et obsoleta artis auxilia jure ab illo iterum commendata, et de novo proposita, invenimus (1). Majorem in primis curam adhibuit in ulcerum sanatione, quatenus haec arte perficitur, indicanda, non autem singulorum ulcerum symptomata descripsisse videtur.

Neque minori laude dignus est *Petrus Dionisius*, Parisiis natus et ibidem anno 1718 mortuus, qui haud infimum non tantum inter claros Galliae Chirurgos tenere censendus est locum, sed principem certe inter eos meretur. Familiae Regiae Chirurgus fuit primarius et, *Ludovici* XIV auctoritate, Anatomen et Chirurgiam in horto Botanico, in quo cathedra haec anno 1635 instituta, et anno 1671 instaurata erat, ab anno 1673 publice docuit. Plura scripsit, quae auctorem profitentur, magna doctri-

(1) Aug. Belloste, le Chirurgien d'hôpital, ou manière de guerir promptement les plaies, Paris 1696. 8vo. Suite du Chirurgien d'hôpital, Paris 1725. 8vo. Traité sur les effets du Mercure, Paris 1738. 12mo.

trinae copia instructum, cum veri studio atque stili puritate ac elegantia scribentem (1). De illa autem Chirurgiae parte, quae in methodo practica vel operationum doctrina versatur, quaeque nova praeprimis illustratione maxime indigebat, plura habuit merita, quorum breve sed dignum *Hallerus* in Bibliotheca sua Chirurgica fecit encomium, sequenti de ejusdem opere (2) judicio: « Senis « opus, rotundi et sinceri hominis, non quidem « inventoris, sani tamen judicii viri."

Ultima haec *Halleri* verba nostra facienda putamus, ut brevem observationum demus epicrisin, quibus nonnulla Chirurgiae Capita, de fistula salivali v. c., de herniis, de arteriae cruralis ligatura etc., illustrare conatus est *Bartholomaeus Saviardus* (3), Senonensis, qui, sagacissimo Naturae observandae ingenio praeditus, post Chirurgiae in Nosocomio, quod a Deo nomen habet, per septendecim annos frequentem factitationem, Lithotomiae faciendae peritia in primis inclaruit, illamque Parisiis saepius instituit.

Post medium seculum decimum septimum, nonnulla etiam in Chirurgia praestiterunt *Franciscus Mau-*

(1) Pierre Dionis, Histoire anatomique d'une matrice extraordinaire, Paris 1683. 12mo. Anatomie de l'homme, suivant la Circulation du sang et les nouvelles decouvertes, Paris 1690. 8vo. Dissertation sur la mort subite, avec l'histoire d'une fille cataleptique, Paris 1709. Traité général des Accouchements etc. Paris 1718. 8vo.

(2) Cours des Opérations de Chirurgie, demontrées au jardin du Roi, Paris 1707. 8vo.; avec les notes de Lafayes, 1751. 8vo.

(3) Nouveau Recueil d'Observations Chirurgicales, Paris 1702. 12mo.

Mauriceau, *Josephus Guichardus Duverney*, (quorum ille tamen in Arte obstetricia, hic vero in Anatomicis et Physiologicis, magis inclaruit), *Laurentius Verduc* cum utroque filio, *Choupart*, *Le Clerc* aliique, quos tamen brevitatis causa mittere poterimus.

De Lithotomia hoc tempore, praeter fratrem *Jacobum*, anno 1651 natum et 1714 mortuum, meruerunt *Franciscus Toletus* (1), *Petri Jonnoti*, clari olim inter Gallos Chirurgi, discipulus, anno 1724 mortuus, et *Johannes Mery* (2), acerrimus fratris *Jacobi* censor, anno 1645 natus et anno 1722 mortuus.

Horum, de quibus locuti sumus, Chirurgorum laboribus sua quamvis ars habuerit incrementa, verum tamen manet, antea propositum, de Chirurgiae, seculo decimo septimo, in Gallia ratione judicium, homines nimirum indoctos atque rudiores saepius hanc, tempore illo, exercuisse. Chirurgiam enim ab hominibus, artem suam penitus ignorantibus, saepius factam esse, tristis illorum temporum experientia probat, quae quippe doceat, Chirurgos, ne ad alia eorumdem ignorantiae testimonia provocem, medianae venae sectionem se instituere, putantes, arteriam brachialem non raro secuisse, atque haemorrhagia majori, *Petri Bourdeloti* ap-

pa-

(1) Traité de la Lithotomie; ou de l'extraction de la pierre hors de la vessie, Paris 1681. 12mo.

(2) Observations sur la manière de tailler dans les deux sexes pour l'extraction de la pierre, pratiquée par le F. Jacques, Paris 1700. 12mo. — Ejusdem scripta Anatomica mittimus.

paratu compressorio, tunc temporis invento, vix coërcenda, vel aliis symptomatibus periculosis, arteriotomiam insequentibus, mortem ipsam aegrotis saepius conciliasse. Infausta itaque Chirurgiae obtinebat conditio, atque illa, si non a majori perfectione recesserit, parvi aestimandos saltem in universum fecit progressus. *Ludovicus decimus quartus* ipse Chirurgiae illius, cujus tristis adeo obtinebat ratio, experiebatur incommoda; difficultates nimirum, quas fistula ani habere solet, expertus et morbi hujus medelam quaerens, hanc non nisi post plures, frustra institutas, sectiones inveniebat (1). In morbi regii quippe gratiam instrumentum inveniebatur peculiare, quod ab illo inde tempore instrumentum *regium* nominari solet.

Seculo autem decimo septimo et Regis *Ludovici* XIV imperio ad finem vergentibus, anno nimirum millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Lutetiae Parisiorum nascitur *Johannes Ludovicus Petitus*, cujus talia et tanta fuerunt de Chirurgia merita, ut non possimus, quin aliquam saltem ejusdem exhibeamus notitiam. Ab anno aetatis septimo, *Littrii*, Celebris Anatomici, domum paternam inhabitantis, anatomicis sectionibus adstare solitus, atque Anatomes deliciis jam captus, ejusdem studia, tanto cum animi fervore, faciebat et in illa discenda tam docilem se praebebat discipulum, ut, biennii tempore, universam cadavera humana secandi methodum probe edoctus esset, et partes varias, habi-

(1) Quam historiam ingeniose narravit Expert. Dionis in l. l. Cours des Opérations de Chirurgie etc.

bili et concinno modo denudatas, commilitonibus suis demonstraret. Septem annorum otio et opera in Anatomes studio diligenter positis, Chirurgi Parisiensis institutione frui coepit atque, illa cum mentis assiduitate, Chirurgiam didicit, ut saepius ad Nosocomii *Charitatis* portam, in limine sedens et dormiens, fuerit inventus: locum autem hunc elegerat sibi *Petitus*, ut, introitus tempore praesente, primus foret, qui aptissimum, ad aegroti, majus quoddam et difficilius artis auxilium experturi, lectum, sibi parare posset locum. *Petitus*, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Gallorum exercitum secutus, et Practicam artis partem professus, Lutetiam Parisiorum revenit ibique, anno 1700, Chirurgiae Magister receptus, et, anno 1715, Academiae Scientiarum socius factus est. Postquam, per viginti quatuor annos, Anatomen et Chirurgiam, cum publice, tum privatim, Parisiis docuerat, anno 1724 Chirurgiam in Schola, quae ab hac nomen suum accepit, data opera explicare coepit, atque in ejusdem Theoria interpretanda, vel in instrumentorum Chirurgicorum apparatu aliisque explicandis, ea uti scivisse dicitur in docendo suavitate, ut discipulis suis maxime semper placeret: anno autem tricesimo Censoris regii, et, sequenti anno, Academiae Chirurgicae Regiae praesidis honores in illum deferebantur. Neque honores tantum in patria illi tribuebantur, sed iidem etiam ab exteris illi solebant haberi: anno quippe millesimo septingentesimo vicesimo sexto, ad Poloniae regem, gravissimo morbo decumbentem, arcessebatur, illumque sanavit, dum, cum eodem

 even-

eventu, anno 1734, in Hispaniam ad *Ferdinandum* regem migrasse dicitur. Magna sunt *Petiti* de Chirurgia merita, de quibus eo magis quis erit convictus, quo magis ad illa attendat praecepta, quae a Viro Celeberrimo inveniet proposita de tumore et fistula lacrimali, de labio leporino, de herniis incarceratis, de fistula ani, de membrorum amputatione et torculari illis imponendo, de heterogeneis corporibus in Oesophago haerentibus et detrudendis, de mammarum carcinomatis exstirpatione, de tendinis Achillis ruptura, atque de aliis gravissimis Chirurgiae Capitibus (1). Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo, anno aetatis septuagesimo septimo, superveniente haemoptysi, Parisiis mortuus est *Petitus*, in magnum patriae et Chirurgiae detrimentum, dum *illius* civium et militum, in octo expeditionibus bellicis, quibus interfuit, saluti, *hujus* autem incrementis non parum inservire studuerat (2). Filius, quem artis haeredem reliquit, cum laude etiam Chirurgiam, a patre edoctam, exercuit (3).

Joan-

(1) Jean Louis Petit, Traité des maladies des os, dans lequel on a représenté les appareils et les machines, qui conviennent à leur guerison. Paris 1705. cujus operis magnus prodiit editionum numerus. — J. L. Petit, Traité des maladies Chirurgicales, et des Opérations, qui leur conviennent, Paris 1774. 2de édit. 1780. en 3 voll. avec planches. Scripta ejus minora inveniuntur in Actis literariis, quibus titulus: Recueils de l'Academie de Chirurgie, et de l'Academie des Sciences.

(2) Vidd. ejusdem Elogia, quae scripserunt Viri Doctissimi Louis et Grandjean de Fouchy in Actis modo ll.

(3) Vid. Ejusdem Elogium, in Mémoires de l'Academie de Chirurgie, Tom. II. pag. 43—48. Paris 1753.

Joannem Ludovicum Petitum excipiant, quos eodem, quo ille, tempore vixisse constat, Viri Celeberrimi *Mareschallus*, *La Peyronie* et *Lamartinière*, egregiis quibus Chirurgiae fautoribus magna satis haec accepta refert incrementa. *Georgius Mareschallus*, ut ab hoc incipiamus, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, Calesii natus, pueritiae annos nondum egressus, Lutetiam Parisiorum mittitur, qui artem a Chirurgo doceatur. Diligentiori autem Anatomes studio, et assidua Nosocomii frequentatione, progressus majores, brevi tempore, in Chirurgia fecit. Gradum Magisterii in eadem adeptus, anno 1688 dignus judicabatur, qui Nosocomii, a Charitate nomen habentis, Chirurgus posset esse primarius, et Doct. *Morel*, infirma sanitate fruenti, succederet. Regis *Ludovici decimi quarti*, de quo aegrotante *Mareschalli* consilium solebat rogari, patrocinio semper gavisus, illiusque, anno millesimo septingentesimo tertio, post *Caroli Francisci Felicis* mortem, Chirurgus princeps creatus est. Homo caeterum *Mareschallus* fuisse dicitur modestus, vario doctrinarum genere instructus, et habili manuum usu praecipue commendandus. Mortuus est ad finem anni millesimi septingentesimi tricesimi sexti, Gallia ejusdem morte lithotomo aptissimo orbata (1). Observationes Chirurgicae varii argu-

(1) Sequens Joannis de Bigot Palaprat, poëtae inter Gallos notissimi, ingeniosa Mareschalli laudatio in hujus rei testimonium potest afferri: „J'étois depuis dix ou douze ans nouveau Si-„syphe, condamné à rouler une grosse Pierre, quand Mr. Ma-„reschal, ce Prince des Chirurgiens, me fit l'opération, et je suis „per-

gumenti, a *Mareschallo* factae, in Actis Academiae Chirurgicae Regiae inveniuntur, dum plures ejusdem observationes passim etiam in scriptis suis notarunt *Dionisius*, *Brissavius* et *Garengeotus* (1).

Franciscus Gigotus de la Peyronie natus est in Monte Pessulano, anni millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi initio. Chirurgiae, quam a patre exerceri viderat, deliciis captus, in hac discenda omnem ponebat operam, atque, gradum Magisterii in hac arte, anno 1695, adeptus, Lutetiam Parisiorum adibat, ut sic Virorum Celeberrimorum lectionibus interesse, eorumque consiliis atque praeceptis, ad theoriam et praxin Chirurgiae pertinentibus, frui posset. In urbem natalem reversus, Anatomen et Chirurgiam docebat, dum dignus judicabatur, qui Chirurgi officiis in Nosocomio fungi posset. Postquam, anno millesimo septingentesimo quarto, castra militaria, Chirurgi primarii dignitate, secutus erat, post decem fere annorum tempus, in Nosocomio *Charitatis* Parisiensi Chirurgus primarius factus est, ubi magna cum laude artem suam exercuit. Anno 1736, *Ludovici decimi quinti* Chirurgus primarius vocatus est, in hujus muneris dignitate *Mareschallo* mortuo succedens. Regis

„ persuadé, que si son habilité et la légéreté de sa main commencerent ma guérison, sa douceur et la gayeté de son humeur la perfectionnerent. Il ne s'approchait jamais de moi qu'avec un visage riant, et moi je le reçus toujours avec un nouveau couplet de chanson sur quelque sujet réjouissant."

(1) Vid. Eloge de Mr. Mareschal dans les Mém. de l'Acad. Roy. de Chir., Tom. II. pag. 31—42. Paris 1753. Conf. Biographie Médicale, Tom. VI. pag. 190 in v. Paris 1824.

gis hujus patrocinium semper experiebatur, dum Nosocomiorum cura illi etiam demandata erat. Per haereditariam labem, anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, mortuus, magnam pecuniae copiam in Chirurgiae commodum reliquit (1). Plures Commentationes, quae in vario admodum argumento versantur, scripsit minores, illaeque in Actis literariis inveniuntur (2).

Qui sequitur, Illustrissimus *Germanus de la Martinière*, regis Consiliarius et Chirurgus primarius, atque Academiae Holmiensis socius, plura etiam contulit ad Chirurgiam in Gallia magis magisque perficiendam, quum, ejusdem in regno Gallico Praeses primarius (Chef), multa in hunc finem praestare potuerit.

Junctis utriusque Viri Celeberrimi *Mareschalli* et *Peyronii* laboribus, ortum suum habuit Virorum doctorum societas, cui *Academiae Chirurgicae Parisiensis* nomen est, quaeque, regis auctoritate et patrocinio, anno 1731, fundata est, dum anno 1743 nomen, quo insignitur, accepit (3), anno 1748 a Rege large donata

est

(1) Vidd. Eloge de M. de la Peyronie, dans les Mémoires de l'Acad. Royal. de Chirurgie Tom. II. pag. 49—60. Paris 1753. Eloge de la Peyronie, par M. Briot, couronné par la Societé de Médecine pratique de Montpellier en 1819, imprimé à Besançon 1820. 8vo.

(2) Vidd. Mémoires de la Société Royale de Montpellier. — Mém. de l'Academ. des Sciençes de Paris. — Mémoires de l'Academie Royale de Chirurgie.

(3) Edictum hoc, quod die vicesimo tertio Aprilis anni 1743 datum est, in ipsa praefatione Chirurgiae in Gallia fata generaliora continet.

est (1), et ipsorum sociorum laboribus valde inclaruit. Socios quippe Academia haec nacta est, in Arte sua Celeberrimos, qui egregias de Chirurgia illiusque variis partibus Commentationes scripserunt, et nominis sui memoriam scriptis hisce servarunt atque in posterum etiam servare poterunt (2). Ipsos hos auctores et opuscula, quae scripserunt, recensere, opus longum foret et utilitate destitutum, quum Acta illa in plerorumque manu versari et a multis Chirurgis legi ac relegi soleant. Societatis hujus Ab-actis fuerunt *Quesnayus*, *Morandus* et *Louisius*, de quibus tribus, qui in Chirurgia excelluerunt, auctoribus verbulum etiam monere liceat.

Franciscus Quesnayus, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto natus, Lutetiam Parisiorum proficiscebatur, qui, in hujus urbis Academia, Chirurgiam, quam artem in posterum exercendam sibi elegerat, disceret, ejusque studium cum

(1) Medici Parisienses hunc Regis in Chirurgiam favorem populique applausum aegre tulerunt, atque Chirurgos lacessere non cessarunt, dum peculiarem libellum contra illos promulgarunt: La Superiorité des Médécins sur les Chirurgiens, prouvée par les lois et usages de toute l'Europe, Paris 1749. 4to. Quod scriptum, teste Hallero (Biblioth. Chir. Libr. VIII. §. 727.), ad plures exteras Academias missum est.

(2) „Industria humana, nullis addicta hypothesibus, solis innixa „observationibus, artis nostrae pomoeria in dies extendit, eorumque, qui id perfecerint, nomen aeternum cluet. Hinc cum reliquis publicis Actis, quibus numerosae eruditorum Sodalitates, ut „caeteras artes, ita et nostram, perpoliant, illustrent, extendant, „haec Chirurgiae Parisinae Acta per omne aevum clarebunt." Vid. A. de Haen, Rat. Medendi in Nosoc. Pract. Vindob., Vol. I. pag. 293. L. B. 1761.

cum Medicina conjungeret. Postquam in celebri hac Musarum sede, per plures annos, in Anatomes, Chirurgiae et Medicinae studio versatus fuerat, atque cum studiis his illa Artis pictoriae, Matheseos, Botanices, Metaphysices et Philosophiae, magno cum fructu, conjunxerat, Chirurgiae Magister creatus est, atque ejusdem praxin exercere coepit. Academia Chirurgica Lutetiae Parisiorum constituta, *Quesnayus* anno 1737 rogabatur, qui Societatis hujus Ab-actis perpetui munere fungi, atque Lutetiam Parisiorum redire vellet, quam praxeos, Mantesii ad Sequanam exercendae, causa reliquerat. Cum hoc munere, quod aegre in se suscipiebat *Quesnayus*, Chirurgi regii et Professoris ordinarii munera simul in illum deferebantur. Anno autem 1744 Gallorum exercitum, sub *Ludovici* XV imperio, sequebatur *Quesnayus* et paulo post, summos in Medicina honores adeptus, novo hoc munere regi suo inserviebat. Rex vero magni facere, et de pluribus rebus saepius interrogare, solebat *Quesnayum*, quem *propter cogitationem mentis*, quae verba Nobilitatis titulos, illi concessos, circumscripta erant, saepius miratus esse dicitur. Anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto ad finem vergente, senex tunc octuagenarius, mortuus est *Quesnayus* (1), scripta

(1) Vidd. Eloge de Quesnay, par Grandjean de Fouchy dans le Recueil de l'Academie des Sciençes pour 1774, pag. 134 seqq. Eloge de Quesnay, par le Comte d'Albon, Paris 1775. 8vo. et inséré dans le Tome XII du Nécrologe des hommes célèbres de France. Eloge de Quesnay, par le marquis de Mirabeau, dans les Ephémérides du Citoyen, ou Chronique de l'esprit national et Bibli-

ta plura relinquens, quorum alia, ut de capitis vulneribus et usu trepani, in Actis literariis Societatum, quibus adscriptus erat, inveniuntur, alia autem separatim prodierunt (1).

Salvator Morandus Lutetiae Parisiorum, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, natus, a patre *Johanne*, qui Celeberrimus tempore, quo vixit, Chirurgus fuisse censetur (2), artis, quae dici solent, principia edoctus, anno 1730 Censor regius et Chirurgus primarius Nosocomii Charitatis creatus est, dum anno 1739 Gallorum exercitus Chirurgus primarius (Chirurgien-Major des Gardes Françaises) factus est. Pluribus Eruditorum, quibus nomen est, Societatibus fuit adscriptus, et in harum Actis literariis plura scripta nobis reliquit. Academiae Scientiarum sociis de *Cheseldeni*, methodum lithotomiae lateralem instituentis, in Anglia, fama certioribus factis, *Morandus* ab illis in Angliam mittitur, et, novam methodum a *Cheseldeno* edoctus, in Galliam redit. Postquam Chirurgiae in Gallia incrementis optime profuerat *Morandus*, diem obiit supremum anno millesimo septin-

bliothèque raisonnée des Sciences. en 12mo. Conf. Biograph. Médic. Tom. VI. pag. 524 seqq. in v. Par. 1824.

(1) Observations sur les effets de la Saignée, Paris 1730. 12mo. Essai physique sur l'économie animale, avec l'art de guérir par la Saignée. Paris 1736. 12mo. Recherches critiques et historiques sur l'origine, les divers états et les progrès de la Chirurgie en France, Paris 1744. 4to. Traité de la Suppuration, Paris 1749. 12mo. Traité de la Gangrène, Paris 1749. 12mo. Plura etiam scripta, philosophici, politici, mathematici et medici argumenti.

(2) Vid. Index funereus Chirurgorum Parisiensium l. l. pag. 611.

tingentesimo septuagesimo tertio, dum Nosocomii regii militum vulneratorum (hôtel royal des Invalides) Chirurgus erat primarius (1). Plura scripsit opuscula Chirurgica, separatim edita, quibus inter Celeberrimos Galliae de Chirurgia auctores jure suo locum sibi vindicat (2). Ejus filius fuit *Joannes Franciscus Clemens Morandus*, qui etiam scripta quaedam minora reliquit (3).

Antonius Louisius, anno millesimo septingentesimo vicesimo tertio Metide natus, humaniores literas ab illis, qui societatem Jesu profitentur, edoctus, atque in ipsis Chirurgiae principiis a patre, Nosocomii militaris, quod Metide erat, Chirurgo, instructus, anno aetatis vicesimo primo exercitum sequi incipiebat. Clarissimus *La Peyronie*, cui mox innotescebat juvenis, egregiis artis et doctrinae prae-

(1) Éloge de Sauveur Morand, par Grandjean de Fouchy, dans le Recueil de l'Académie des Sciences, année 1773. pag. 99 seqq. Joannis Francisci Clement. Morand, de peritissimi et clarissimi parentis morte moerentis Epistola ad omnes Academias, quae patrem in gremium asciverant, Paris. 1773. 8vo.

(2) Sauveur Morand, Traité de la taille au haut appareil etc. avec une Dissertation de l'auteur, et une lettre de Winslow sur la même matière, Paris 1728. 8vo. Eloge historique de Mareschal, premier Chirurgien du roi, Paris 1737. 4to. Réfutation d'un passage du Traité des Opérations publié en Anglais par Sharp, Paris 1789. 12mo. Discours pour prouver, qu'il est nécessaire à un Chirurgien d'être lettré, Paris 1743. 4to. Recueil d'expériences et d'observations sur la pierre, Paris 1743. 2 voll. 12mo. L'Art de faire des rapports en Chirurgie, Paris 1743. 12mo. Catalogue des pièces d'anatomie, instruments, machines, qui composent l'arsenal de Chirurgie à Pétersbourg, Paris 1759. 12mo. Opuscules de Chirurgie, Paris 1768. 4to. Seconde partie, Paris 1772. 4to.

(3) Vid. Biograph. Médic., Tom. VI. pag. 293. Paris 1824.

praeceptis imbutus, Lutetiam illum arcessebat, ubi praemiis, quibus a Societate Chirurgica dignus judicabatur, mox nominis celebritatem quandam sibi conciliabat, quae eo major reddebatur, quo magis e scriptis suis cognoscebatur. *La Peyronie* mortuo, novum vindicem atque patronum nanciscebatur *Louisius*, Chirurgum nimirum Celeberrimum *de la Martinière*, quo suasore atque auctore Physiologiae docendae honores in illum delati sunt. Ab anno millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo artem Chirurgicam in Nosocomio Caritatis exercuit, a quo munere autem, propter lites quasdam obortas, se abdicavit et exercitum de novo sequi constituit, dum, anno millesimo septingentesimo sexagesimo primo, princeps Chirurgus consiliarius (Chirurgien-Major consultant) factus, duplex bellum in hujus muneris dignitate secutus est. Bellis his fine imposito, ad Musas rediit *Louisius*, et anno 1764 munus Ab-actis perpetui Societatis Chirurgicae in se suscepit, quo titulo plura praestitit et optime de Societate hac atque de Chirurgia meritus est (1). Anno millesimo septingentesimo nonagesimo secundo mortuus est, et pluribus scriptis, varii argumenti, ad Chirurgiam potissimum pertinentibus, famae suae inserviit (2).

In-

(1) Conff. illa, quae inveniuntur in Biopraph. Médic., Tom. VI. pag. 113 seqq. Paris 1824.

(2) Antoine Louis, Recueil des Observations sur l'Electricité médicale, Paris 1763. 2 voll. 12mo. Mémoire sur la taille des femmes, lut à la séance publique de l'Academie, Paris 1746. Chirurgie pratique sur les plaies d'armes à feu, Paris 1746. 4to. Observations et remarques sur les effets du virus cancreux etc., Paris 1748.

Incrementa, quae trium horum, quorum vitam et scripta breviter indicavimus, auctorum laboribus, seculo decimo septimo et octavo, in Gallia cepit Chirurgia, continuo majora et perfectiora facta sunt, magno Chirurgorum numero, cum in Artis theoria tum in ejusdem exercitio practico inclarescente. Vix enim finem inveniremus, si vel de illis tantum dicere vellemus Chirurgis, quorum nomina et scripta in Actis Academiae Chirurgicae Parisiensis inveniuntur. Hujus quippe Societatis vel Academiae scripta Chirurgiae, in Gallia, seculo decimo octavo, historiam continent, ejus varia fata narrant et ipsa Chirurgorum opera, vario consilio et vario cum eventu conscripta, in usum communem continent, dum ex his certe optime de Chirurgiae, tempore illo, ratione ac conditione judicium ferri posse videtur. Ne itaque Iliadem post *Homerum* canere nos velle videamur, horum temporum historiam, quam breviter tetigimus, nunc qui-

1748. Positiones Anatomicae et Chirurgicae de Vulneribus Capitis etc., Paris 1749. 4to. Eloge de J. L. Petit, Paris 1750. 4to. Recueil de pièces sur différentes matières Chirurgicales, Paris 1752. 12mo. Lettre sur les maladies Vénériennes etc., Paris 1754. Dictionnaire de Chirurgie en 2 voll. 12mo. Traité des maladies des os de J. L. Petit, 5me édit. par Antoine Louis, Paris 1766. 2 voll. 12mo. Eloge de Bertrandi, Paris 1767. 12mo. Traduction des Aphorismes de Chirurgie de Boerhaave, commentés par van Swieten, Par. 1768. De methodi Hawkinsianae praestantia in calculosorum sectione, Paris 1769. 4to. Traité des maladies Vénériennes d'Astruc, 5me édit., Paris 1777. — In Actis Literariis invenienda ejusdem scripta, ut et polemica, eaque, quae ad Medicinam magis quam ad Chirurgiam pertinent, non recensenda videbantur.

quidem mittere nos debere putamus, quum ipsi illorum temporum in Chirurgia auctores Celeberrimi otium hac in re nobis fecerint.

Quid autem de seculo decimo octavo dicemus? Bella ac Nosocomia uberrimos constituebant experientiae fontes, dum *Halleri*, *Desaltii* ac *Hunteri* meritis temporis ingenium illud erat, quod Chirurgiae ac universae Medicinae incrementis maxime esset proficuum. Inventorum Chirurgicorum ac observationum communicatio mutua, Virorum Doctorum societates, Itinera literaria, Diaria Medica et Chirurgica, ac plures forte similes conditiones, multum ad Chirurgiae progressus contulerunt. Dum enim in Anglia *Bellius*, *Bromfieldius*, *Cheseldenus*, *Douglasius*, *Hunterus*, *Kirklandus*, *Monrous*, *Pottius*, *Sharpius*, *Smellius*, *What*, *White*, *Woolhouse* aliique, atque in Hollandia *Bonnius*, *Camperus* atque *Gescherus* Chirurgiam brachiis atque ulnis amplectebantur eandemque magis magisque promovebant, in Gallia et Germania etiam multa in Chirurgiae incrementum facta sunt. Quemadmodum autem Germanorum Chirurgorum, quae seculo praeterito floruerunt, merita mittere debemus, quum inter tot, quibus haec debentur, praestantissimos viros optio sit difficilis, ita etiam de Chirurgis, quos Gallia tunc temporis habuit, plura dicere possemus, nisi pauca sufficere crederemus. Chirurgorum nempe, qui tempore illo excelluerunt, memoria tam recens est, eorumque laudes praeterea a tot auctoribus celebrantur, ut frustra, illorum vita, scriptis et meritis indicandis, in nimium volumen excresceret haecce

scrip-

scriptiuncula. Dixisse itaque sufficiat, seculi decimi octavi initio, praeter auctores, antea jam indicatos, inclaruisse praecipue *Joannem Baseilhac* (notum nomine fratris *Côme*), *Dominicum Anelium*, *Jacobum Crescentium Garengeotum*, *Claudium Nicolaum le Catium*, *Thomam Goulardum*, *Jacobum Daranum*, *Andream Levretum* atque plures alios, de quibus Gallia jure suo gloriata est, quibusque cum Anglia de principatu in Chirurgia certamen incepit: versus finem autem seculi ejusdem decimi octavi vixisse *Raphaëlem Beneventum Sabatierium*, *Henricum Franciscum Ledranium*, *Jacobum Davielum*, *Antonium Petitum*, *Claudium Pouteavium*, quos, experientia duce, pluribus observandis aut inveniendis, Chirurgiae in Gallia non parum profuisse constat.

Plura certe de Chirurgiae, qualis praecedenti seculo fuit, historia forent dicenda, nisi in his otium nobis fecisset Doct. *L. J. Renauldin*, qui non minus eleganter quam docte de his disseruit et patriae gloriam optime tuitus est (1).

A. O. Goelicke, *Historia Chirurgiae antiqua* Halae 1713. 8vo.

——— ——— *Historia Chirurgiae recentis*, Halae 1713. 8vo.

(F. Quesnay?), *Recherches critiques et histori-*

(1) Vid. Introduction au Diction. des Sciençes Médical. etc. Tom. I. pag. CVI seqq. Paris 1812.

riques sur l'origine, sur les divers états et sur les progrès de la Chirurgie en France, Paris 1744. 4to.

G. Arnaud, *Mémoires de Chirurgie, avec quelques remarques historiques sur l'état de la Médecine et de la Chirurgie en France et en Angleterre*, Part. I. Londres 1768. 4to.

A. Portal, *Histoire de l'Anatomie et de la Chirurgie*, VI voll. Paris 1770 seqq. 8vo. min.

A. von Haller, *Bibliotheca Chirurgica*, Bernae 1774. 2 voll. 4to.

Dujardin, *Histoire de la Chirurgie, depuis son origine jusqu'à nos jours*, Tome I. Paris 1774. Tome II. (Peyrilhe) Paris 1780. 4to.

N. Riegel, *De fatis faustis et infaustis Chirurgiae, nec non ipsius interdum indissolubili amicitia cum Medicina ceterisque studiis liberalioribus, ab ipsius origine ad nostra usque tempora*, Hafniae 1788. 8vo.

K. Sprengel, *Geschichte der Chirurgie* (*der chirurgischen Operationen*), I. Th. Halle 1805. 8vo. II. Th. (*von* Wilh. Sprengel), ibidem 1819. 8vo.

——— ——— *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde*, V Theile. Halle 1800 seqq. 3te umgearbeitete Ausgab. ibidem I. Th. 1821. II. Th. 1823.

J. G. Bernstein, *Geschichte der Chirurgie, vom Anfange bis auf die jetzige Zeit*, II Bde. Leipz. 1822—23. gr. 8vo.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE PRAECIPUIS CHIRURGIAE, RECENTIORI TEMPORE, IN GALLIA FATIS.

Tempus, quo ad majorem Chirurgia, in Gallia, perduci coepit perfectionis gradum, a *Desaltio* in primis computandum est, a quo quippe nova quasi Chirurgiae incipit epocha, quique dignissimus est, de cujus vita, doctrina et scriptis breviter disseramus, ut eo melius Chirurgiae, recentissimis hisce temporibus, progressus intelligi atque justa ponderari possint trutina.

Petrus Josephus Desaltius, anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Maginiaco-Vernasii, Luderae (quae urbs in Burgundiae Comitatu et in Alti Araris partitione invenitur) vicino pago, a parentibus, cum numerosa sobole, in mediocri vitae conditione versantibus, natus, latinam linguam atque humaniores literas edoctus, et Matheseos studio praecipue delectatus, Chirurgiam discere incepit, praeceptore usus pagi, in quo habitabat, Chirurgo, tonsoriam artem et venarum sectionem bene callente, ipsius autem Chirurgiae parum perito. Hoc autem praeceptore relicto, Befortium, Alsatiae superioris urbem, sese contulit ibique Artis praecepta didicit, et in Nosocomio militari, practicum eorum usum ita observavit, ut eximium illud ingenium jam monstraret,

quo postea *illum* adeo excelluisse constat. Diligenti trium annorum studio Befortii in Chirurgia posito, anno millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, Lutetiam Parisiorum proficiscebatur, ubi Chirurgia, *Johannis Ludovici Petiti* aliorumque, de quibus antea diximus, laboribus, magna incrementa ceperat, atque studiosissime a *Louisio*, *Morando*, *Sabatierio* atque *Antonio Petito* docebatur, a quibus igitur novam in arte sua lucem et nova de eadem praecepta sibi datum iri, jure exspectabat *Desaltius*. Anatomes et Chirurgiae, cum theoreticae tum practicae, studio per duos annos diligenter facto, anno millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, cum viginti duorum annorum aetatem attigerat, publice docere incepit, ut, quemadmodum hoc Mathesi docenda antea fecerat, rei familiari consuleret. Aestate, hiemem et Anatomicas lectiones insequente, eodem modo Chirurgiam docuit magnumque habuit discipulorum, lectiones assidue et diligenter audientium, numerum. Aliorum autem invidia mox illud efficere noverat, ut illi, qui ob magnam doctrinae copiam nimium forte discipulorum suorum plausum ferre videbatur, haecce publice docendi libertas interdiceretur, quippe quae Collegii Chirurgici sociis quidem, non autem *Desaltio*, esset concessa. *Martinierii* autem, *Louisii* aliorumque, quo fruebatur, patrocinio, in lectionibus suis pergere potuit *Desaltius*, in quibus et Anatomen et Chirurgiam optime explicare atque utriusque institutionem conjungere semper solebat. Anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto demum, postquam

per

per decem annos docuerat, Collegii Chirurgici socius factus est, et mox Professoris ordinarii munus sibi oblatum suscepit, Dissertatione hac occasione scripta, quam sub *Louisii*, cui multa et in his quoque debebat, praesidio defendendam sibi sumsit, *de calculo vesicae, eoque extrahendo, praevia ope instrumenti Hawkinsiani emendati.* Anno millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, Nosocomii Charitatis Chirurgus primarius constituebatur, dum anno 1788 eodem munere, in Nosocomio Hôtel-Dieu dignus judicabatur et *Ferrando* succedebat, pluribus, et inter hos quoque *Pelletano*, de eodem honore cum *Desaltio* certamen ineuntibus. Munere hoc magna cum diligentia et assiduitate fungebatur *Desaltius*, atque, quamvis praxin haberet locupletem, et operationes quascumque graviores, in urbe faciendas, solus fere institueret, illa utebatur religione, ut vel in Nosocomio, uxorem domi habens, quavis nocte dormiret, ne unquam aegrotis artis auxilium posset deficere. Quemadmodum praxi, quam exercebat, plurium saluti potuit inservire, ita etiam ipsi Chirurgiae multum profuit (1) illique magna conciliavit incrementa, quae eo magis poterimus aestimare, quo magis ad ipsa *Desaltii* inventa atque doctrinam attendamus. Sive enim ipsa instrumenta Chirurgica spectes, sive ad fasciarum et ligaminum apparatum attendas, plura sunt, quae vel Des-

(1) Gravis Desaltii, a Cl. Richerando, de eodem iniquum judicium ferente, facta, culpatio legitur in Journ. Complém. du Dict. des Sc. Médic., Cah. 42. Déc. 1821. Tom. XI. pag. 104 seq.

Desaltii ingenio inventa, vel ejusdem observandi et ratiocinandi acumine meliora sint facta.

Ligaturam vasorum immediatam, nimis a Chirurgis in Gallia neglectam, de novo commendavit *Desaltius*, et in aneurysmatibus arteriarum nonnunquam infra locum aegrotantem ligaturam institui voluit. In labio leporino sanando, in amygdalis vel uvula resecandis, in cathetere administrando, in fistula ani secanda aut liganda, felicem eventum habere solebat *Desaltius*, qui novo hunc in finem instrumentorum apparatu utebatur. In herniis umbilicalibus sanandis Graecorum et Arabum methodum iterum proponebat, sacci et integumentorum ligaturam. Ad polyporum, nares posteriores et fauces obstruentium, deligationem methodo nova, simplici et satis facili, utebatur. In amputationibus cultri recti, prae incurvi aut concavi, usum commendavit, ut sectio unâ manu fieri, et spatia interossea eodem simul dividi, possent, atque ut, minori superficie cultro se offerente, facilius institueretur cutis et musculorum divisio: caeterum amputationes, quarum abusus aut incongruus usus humanitati tam saepe nocuit, non sine urgente necessitate instituere solebat. In capitis vulneribus purgantia adhibebat *Desaltius*, dum, majori contusione aut cerebri compressione praesente, fomentationibus frigidissimis, V. S. et Vesicatoriis largioribus utebatur. Difficultati, cui in fracta clavicula, quam in locum reposuerant, retinenda, ab *Hippocratis* tempore, sese obnoxios experti erant Medici, mederi sciebat *Desaltius*, hujus difficultatis rationem cognoscens: quum nimi-

mirum claviculae fragmentum externum, humeri pressione, in inferiora, atque, musculorum actione, in anteriora et interiora urgeatur, *Desaltius* pulvinaris usum proponebat, quo humerus sursum pelli, in extensione continua teneri, scapula autem sustentari deberet, uno verbo externum fractae claviculae fragmentum in exteriora et posteriora posset urgeri. In colli humeri fracturis apparatum inveniebat, quo et brachium et scapula optime figi possent, et humeri os, ad Chirurgi voluntatem, facile aliam accipere posset directionem. Quemadmodum in radii luxationum signa accuratius inquirebat, et modum, quo hae luxationes optime possent reduci, indicabat, ita etiam olecrani fracturas magis illustrabat, iisque sanandis idoneum instrumemtum proponebat, quo etiam in patellae fracturis utebatur. In femoris demum fractura sananda novo utebatur fasciarum apparatu, quo musculorum actio compesci, pelvis figi, et femur in inferiora posset urgeri.

Desaltius magnum semper discipulorum habuit numerum, et ex ejusdem schola plures prodierunt Italiae, Hispaniae, Angliae et Germaniae Chirurgi, qui in arte sua excelluerunt et praeceptore suo dignos sese monstrarunt, quorumque nonnulli in hac vita supersunt. Gallia autem ipsa plures, qui *Desaltii* institutione usi sunt, Chirurgos accepit Celeberrimos, de quorum nonnullis adhuc gloriari potest: quemadmodum enim Viri Doct. *Manoury* et *Bichat*, quos morte nobis ereptos dolemus, e *Desaltii* schola progressi sunt, ita plures eorum, qui ultimis triginta annis praecipue inclaruerunt, fue-

fuerunt ejusdem viri praeclari discipuli. *Desaltius* ipse, magnis praxeos laboribus obrutus, pauca scripsit et doctrinam suam non ipse publici juris fecit; hanc tamen *Mariae Francisci Xaverii Bichati* opera innotuisse gaudemus, cui Viro Cl. me pleraque eorum, quae de *Desaltio* ejusque doctrina dicta sunt, debere profiteor (1).

Atque sic jam, in Chirurgiae historia enarranda, ad seculi decimi octavi finem et ad hujus, quod vivimus, seculi initium pervenimus, id est ad illud pervenimus tempus, quod recentissimos Chirurgiae in Gallia progressus complectitur. Utroque priori seculi hujus decennio praeterlapso, si Chirurgiae in Gallia fata intueamur, plures invenire nobis videmur rationes, quibus illa facilius intelligere atque cognoscere, et aptiori modo de illis judicare, possimus. Giganteum quippe opus, quod Scientiarum Medicarum Encyclopaediam continet, et de quo, si Botanicam (2) ejusdem partem et Di-

(1) Journal de Chirurgie par M. Desault, Chirurgien en Chef de l'Hôtel-Dieu de Paris, Paris 1791—92. 4 voll. 8vo. Traité des maladies Chirurgicales, et des opérations qui leur conviennent, par Desault et Chopart, Paris 1796 2 voll. 8vo. qui tamen liber ab ultimo hoc Viro Doct. scriptus videtur. Oeuvres Chirurgicales ou exposé de la doctrine et de la pratique de P. J. Desault etc. par Xav. Bichat, 3me édit. Paris 1813. 2 voll. avec figures. Desault, Traité des Maladies des voies urinaires, nouvelle édition, Paris 1813. 8vo. (formant aussi le troisième volume des Oeuvres Chirurgicales). Desault, Cours théorique et pratique de Clinique externe, extrait de ses leçons par Cassius, Paris ann. XII. 2 voll. 8vo. Conf. Eloge de P. J. Desault par Xav. Bichat in l. mox l. pag. 1 seqq.

(2) Flore Médicale du Dictionnaire des sciences médicales, décrite par Chaumeton, Chambert et Poiret etc. Paris 1814 seqq. 107 Livraisons. Cujus Operis num plures fasciculi debeant prodire, nescio.

Diarium, quo nova continuo supplere conantur (1), excipias, penitus nunc absoluto gloriari possunt ejusdem auctores, plura certe complecti censendum est, quibus Medicinae et Chirurgiae, in Gallia, fata atque progressus uno, ut ita dicam, obtuitu cognoscamus atque dijudicemus. Scholae Medicae praeterea, per universum Galliae imperium, novam, ultimo hoc anno vicesimo, accepere faciem et novam expertae sunt rationem ac ordinem, dum Medicorum et Chirurgorum Societas, cui plures nominis celebritate clari adscripti semper fuerunt Viri, cujusque socii ab ejusdem origine jam inclaruerunt, denuo fundata est et sua jura recepit (2). Nova denique doctrina e *Broussaisii* scholis progressa est, qua, fieri nequit, quin Chirurgiae indoles atque ingenium mutationem aliquam, bonam aut malam, ut tempus docebit, expertura sint (3); quum enim *Medicina non ingenii humani partus sit, sed temporis filia*, a tem-

(1) Journal complémentaire du Dict. des sciençes médicales etc. Paris 1817 — 1826. Cahiers XC.

(2) Conf. Richerand, Rapport sur les premiers travaux de la section de Chirurgie de l'Académie royale de Médecine; dans le Journ. Complém. du Dict. des sc. Médic. Cah. 42. Décembre 1821. Tom. XI. pag. 97 seqq.

(3) Alacres autem novarum doctrinarum asseclae perpendere velint, quae, in Praefatione ad Institutiones Pathologiae medicinalis, verissime scripsit, immortale Hollandiae decus, Hieronymus Davides Gaubius: „Quodsi tristissimas mecum reputo, quae ex incauto „pertinacique hypothesium atque falsorum dogmatum usu in facienda „Medicina profluunt, consecutiones, tot sanitates perverso regimine „pessumdatas, tot morbos incongrua medicatione in longum pro„tractos, tot illatas mortes; non sine animi dolore, quandoque du„bius haereo, plus emolumenti, an noxae humano generi medendi „scientia afferat."

tempore quoque de qualibet nova doctrina et arte exspectandum erit judicium. Haec aliaque, quae hujus aevi historia in Gallia exhibet, facta totidem sine dubio constituunt auxilia, quibus Chirurgiae hodiernae in Gallia conditionem cognoscere et ponderare possimus.

Quaeritur itaque, quaenam, prioribus hujus seculi decenniis, Chirurgiae in Gallia obtineat ratio? Ad quam quaestionem breviter responsuri, ipsos, qui in arte sua potissimum excellunt, Chirurgos silentio praeterire debemus, quum de viventibus audiri nolit judicium, quumque vix finem inveniremus, si nomina Virorum Doctissim. *Beauchesne*, *Boyer*, *Breschet*, *Chaussier*, *Cullerier*, *Delpech*, *Demours*, *Desgenettes*, *Dubois*, *Dupuytren*, *Itard*, *Lagneau*, *Lallemand*, *Larrey*, *Lisfranc*, *Richerand*, *Roux* atque tot aliorum enumerare, et de singulis hisce auctoribus pauca quaedam monere vellemus.

Illa itaque potius indicabimus, quae recentiori tempore in Gallia inventa, aut majorem perfectionem experta sunt, quibusque nostrum seculum prae praecedenti gloriari posse videtur.

Quae a *Whitio* anno 1769 aliisque Celeberrimis Angliae Chirurgis primum instituta est, ossium, necrosi aliisve morbis affectorum, resectio in Gallia quoque Virorum Doctissimorum *Percy*, *Ferrière*, *Moreau*, *Champion* aliorumque (1) Chirurgorum provocavit industriam, quippe qui hanc par-

(1) Vid. Ph. J. Roux, de la Résection, ou du retranchement de portions d'os malade, soit dans les articulations, soit hors des articulations, Paris 1812. 4to.

partialem ossium resectionem amputationi saepe praeferendam esse didicerint, illamque, secundum artis praecepta, cum optimo eventu, seculi praecedentis fine et hujus initio, instituerint. Eadem res est de ossium exstirpatione: quamvis enim femoris (1) aliorumque articulorum resectionem praecedenti seculo jam institutam fuisse sciamus, nemo tamen negaverit, vel illam tunc rarissime factam esse, vel nostris temporibus saltem secundum simpliciorem et meliorem methodum institui solere. Maxillae inferioris amputatio et superioris pro parte resectio saepe etiam hoc, quod vivimus, seculo instituta atque Lutetiae Parisiorum optimo eventu comprobata est. Multa alia praeterea, si ad practicam Chirurgiae partem attendas, vel nostro tempore inventa, vel optima ratione mutata sunt, dum Cl. *Lisfranc* aliique in Gallia Viri Celeberrimi novas operationum methodos, ad aegrotorum salutem certo certius facturas, proposuerunt et quotidie docent. Quis est, quem fugiat, lentis cristallinae depressionem, sive methodum a *Celso* descriptam (2), a Cl. *Scarpa* prae omni alia methodo commendatam, et in quavis cataractae specie ab eodem institui solitam, praecedenti seculo nimis neglectam (3), nunc iterum frequentius fieri solere at-

(1) De hac Operatione a Muldero, Viro quondam nostrate Clarissimo, instituta et optimo successu coronata, vidd. Vaderlandsche Letteroeffeningen, voor 1798. Mulder, Oratio de Meritis Petri Camperi, 1808. Letterbode voor 1824.

(2) Vid. Libr. VII. Cap. VII. §. 14.

(3) Ab anno nimirum 1747, quo Jacobus Davielus ejusdem extractionem proposuit.

atque in Gallia praesertim a pluribus Chirurgis instituí? Nonne de ceratonyxi, in Germania a *Buchornio* inventa et a *Langenbeckio* saepius instituta, et postea in Gallia aliisque regionibus facta, egregias seculum nostrum exhibere potest observationes, quibus de methodi hujus praestantia et incommodis judicium fieri poterit? Neque tamen hinc conficere quis velit, Gallorum Chirurgorum Ophthalmologiam magnos, recentiori tempore, fecisse progressus. Quis enim est, qui Angliae et Germaniae, in oculorum Chirurgia, prae Gallia principatum denegare auserit? Nosocomiorum, oculorum morbis sanandis inservientium, Lutetiae Parisiorum defectus; lectiones ophthalmologicae penitus haberi insolitae; diagnoseos, ad morbos oculorum discernendos, imperfecta ratio; ipsorum instrumentorum ophthalmiatricorum mala, neque satis subtilis, conformatio; magna Chirurgorum, in hac illave oculorum operatione instituenda, praedilectio, retardatos hos et parvi faciendos Chirurgorum Gallorum in dignoscendis et sanandis oculorum morbis progressus explicare videntur. Haec postea autem data opera uberius explicanda erunt.

De morbis urethrae, urinae excretionem impedientibus, optime recentiori tempore meruit Doct. *Theodorus Ducamp*, anno 1793 Bordavii natus et anno 1823 mortuus, qui ingenio suo, habilitate et mira constantia, plura ejus viae organica vitia feliciter superavit et auxilia sua eximie indicavit.

Fistulas ani, cum simplices, tum recto-vesicales aliasque compositas, recte sanandi methodus ad recentiora quoque tempora referenda videtur, dum,

prae-

praeter *Lallemandum* aliosque, optime de iis in Gallia meruit Cl. *Dupuytrenus*, quippe qui in fistula ani sananda compressionis methodum in usum vocaverit. In ani fissuris atque stricturis, qui uterque morbus antea forte jam observatus, nunquam autem descriptus erat, ex frequenti earundem observatione, describendis, atque, per brevissimam viam, sanandis magnam operam posuit Cl. *Boyerius*, cujus Diatribe lectu dignissima est (1). Aegrotorum, iisdem decumbentium, curam nonnunquam etiam, in Nosocomio, a Misericordia nomen nacto (la Pitiè), habere vidimus Cl. *Béclardum*, nunc eheu! jam mortuum; qui Vir Cl. ad stricturas sanandas adhibebat suppositorium, e linteo carpto confectum, quod sensim crassitie augebatur, dum ipsae fissurae lapide infernali tangebantur. Hac methodo intra tres hebdomades se aegrotos sanare solere, atque nunquam hanc methodum se frustra adhibuisse, testabatur Vir Clarissimus.

Magna Chirurgorum, cum in Gallia, tum in Anglia praecipue, recentiori tempore, in magnis arteriis, illarumque truncis praecipuis, ligandis fuit audacia: quales ligaturas arteriis axillaribus, subclaviis, carotidi communi, iliacae externae et internae atque vel ipsi Aortae abdominali injecisse Chirurgos, plures observationes possunt probare (2). Eodem jure de herniarum, cruralium praeci-

(1) Vidd. Remarques et Observations sur quelques maladies de l'anus, par Boyer; dans le Journal complem. du Dict. des Sc. Médicales, Cah. V. Nov. 1818. pag. 24—44.

(2) Plura legantur exempla in Dict. des Scienc. Médic. Tom. XXXI. pag. 563 seqq. Paris 1819.

cipue, de aneurysmatum, polyporum aliorumque morborum Chirurgicorum curationis encheiresi, qualis nunc in Gallia adhiberi solet, dicere possemus, vel etiam observationes enumerare, quibus morborum quorundam, rarius vel minus bene observatorum, diagnosin melius constituerunt, aut operationis, vel sanationis cujusque alius, methodum aptiorem commendarunt; verum brevitati studeamus et memoratu dignissima, Galliae peculiaria, tantum notemus.

Ultimo seculi, quod vivimus, decennio ad finem vergente, saepius, cum felicissimo eventu, a Chirurgis fieri coepit palati fissi sutura (Kionoraphia, Staphyloraphia, Uranorrhaphe) quae eo magis mentionem meretur, quo major sit morbi, cujus medela per illam inventa, gravitas. Vitii hujus organici, per artis auxilia antea sanari nescii, sanationem primus obtinuit Illustr. *Graefe*, Professor Berolineniss, qui, posqtuam anno 1816, in Societate Medico-Chirurgica, quae Berolini, *Hufelandio* praeside, floret, ejusdem mentionem jam fecerat (1), methodum suam anno 1820 publice indicavit (2). Prima illa *Graefiana* operatione vix cognita, mox eandem etiam (anno 1816) instituit Doct. *Ebel*, qui, *Graefiana* instrumenta nondum cognoscens, et ipsius methodi etiam ignarus, ad proprium ingenium acus et forcipes sibi parari curavit atque suturam perfecit (3). Anno 1819 primam,

(1) Vid. Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde, Jan. 1817. pag. 116.

(2) Vid. Graefe und Walther, Journal der Chirurgie und Augenheilkunde, Bd. I. H. I. pag. 1—54.

(3) Vid. Graefe's und Walther's Journal etc. Bd. VI. H. I. pag. 79.

mam, suturae auxilio, palati fissi reunionem instituit Cl. *Roux*, Chirurgiae Professor Parisiensis (1), qui postea saepius eandem cum optimo eventu adhibuit. In Gallia praeterea Uranorrhaphen instituerunt Expertissimi Viri *Suchetus* (2) atque *Ferrierus* (3); in Anglia Celeberrimus *Alcock* (4); in Belgio demum, Expertissimus *Jousselin* (5). Haec de hujus operationis historia dicenda videbantur, quum Cl. *Roux* in opere laudato *Staphyloraphiae* (ut perperam palati fissi suturam nominavit) inventor haberi voluerit, et tamen constet, *Graefium* et *Ebelium*, anno jam hujus seculi decimo sexto, operationem hanc instituisse. Cl. *Roux* autem, eandem, ut ipse testatur, anno demum decimo nono perfecit. Quae quum ita sint, rogari posset ratio, quae me ad ejusdem mentionem, in Chirurgiae apud Gallos historia occupatum, impellant. Ratio est, quod Cl. *Roux*, quamvis palati fissi suturam non invenerit, eandem tamen cum egregio eventu saepius instituerit. Decies ter nimirum in duodecim aegrotis suturam hanc perfecit,

(1) Phil. Jos. Roux, Mémoire sur la Staphyloraphie, Paris. 1825.

(2) L. Suchet, Observation d'une angine gutturale chronique etc.; suivie d'un succinct exposé d'un mode opératoire, que nous avons imaginé pour pratiquer la suture du voile Staphylin, et d'une note sur un instrument de notre invention, qui tient, lorsque il est placé, la langue abaissée sans le secours de la main; dans le Journal complém. du Dict. des Sc. Méd. Cah. 53. Tom. XIV. pag. 39 seqq. Nov. 1822.

(3) Revue Médicale, Juill. 1823.

(4) Transact. of the apoth. etc. of Engl. a. Wales, Lond. 1822.

(5) Vid. Roux l. l.

cit, septies in simplici uvulae et veli penduli fissura, et sexies, palato duro simul fissuram experto. In septem prioribus casibus quater sanationem obtinuit perfectam, semel imperfectam, et bis nullam: in posterioribus sex, majori fissurae gradu et vera substantiae deperditione praesente, bis quidem palati mollis unionem, nunquam autem perfectam mali sanationem obtinuit. Hos eventus si cum illis Cl. *Graefe* comparemus, non possumus, quin Cl. *Roux* feliciores, quod tamen sine invidia dictum sit, operationis eventus tribuamus. Neque tamen dubium est, causam hujus rei non, nisi in conditionibus accidentalibus, et in vario mali, quod aderat, gradu, esse quaerendam. Uterque enim Vir Clarissimus congrua, facili et secura auxiliorum Chirurgicorum administratione aeque inclaruit, et, quod magis, ambo, non multum diversa agendi ratione, eodem fere utuntur, ad palati fissi suturam perficiendam, instrumentorum apparatu (1). *Graefius* praeterea, ultimis his annis, meliores obtinuit sanationis effectus: dum ex quatuor aegrotis, quibus anno 1824 mederi conatus est, in duobus perfectam palati fissi unionem obtinuit.

In-

(1) Quibus uterque Vir Celeberrimus usus est, instrumenta simul depicta videas in Weimarsche Chirurgische Kupfertafeln, XXIX Heft. Industrie Comptoir 1825. Quibuscum conferas instrumenta, proposita a Doct. L. E. Doniges, addita hujus Dissertationi, de variis Uranorrhaphes methodis, Berolini 1823. et illa, quae commendavit atque depixit Doct. J. F. Dieffenbach, in Hecker's Litterar. Annalen der gesammten Heilkunde etc. Febr. 1826 pag. 145 seqq. Tab. I.

Inter remedia, quae, per longum temporis spatium oblivioni tradita, ultimis decem potissimum hujus seculi annis, in Gallia iterum in usum vocata et abunde laudata sunt, jure referri meretur Sinarum Japonumque acupunctura, quae, postquam Europaeis, ex itineratorum inprimis narratione, innotuerat (1), primo avide quidem excepta est, mox autem penitus abolevit, donec in Gallia iterum atque in Anglia, recentiori tempore, instituta est. Si *Heisterum*, *Vicq d'Azyrium* aliosque forte nonnullos excipias, plerique recentioris aevi Chirurgi ne vel mentionem ejusdem facere solebant, donec in Gallia hoc artis auxilium denuo in memoriam revocatum, et, ad plures morbos sanandos, iterum commendatum est. In Encyclopaedia majori Medica, quae in Gallia prodiit, brevis ejusdem notitia data est (2); primus autem eandem, data opera, commendasse videtur Doct. *Berlioz* (3), qui in affectionibus mere nervosis, in rheumaticis aliisque doloribus, in contusionibus, in cephalalgia, pluribusque, sine inflammatione, incommodis, ejusdem usum praecipue se expertum esse testatur. Plu-

(1) Mentionem ejusdem fecerunt Martinius in Historia Sinica, et Jac. Bontius in Historiae Naturalis Libr. V. Cap. ultimo; et in Medicinae Indicae Libr. IV. Lugd. Batav. 1718. — Conff. etiam Guil. ten Rhyne, Mantissa Schematica de Acupunctura, quae addita est Diss. de Arthritide, Lond. 1683. Bidloo, Diss. de puncto, L. B. 1709. Kaempfer, Amoenitat. exoticarum politico-physico-medicarum, Fasciculi III. Lemgoviae 1772.

(2) Dictionnaire des Sciences Médic. Tom. I. pag. 149. Paris 1812.

(3) Mémoires sur les maladies chroniques, les evacuations sanguines et l'acupuncture, Paris 1817.

Plura etiam experimenta, ad Acupuncturae effectus medicatos investigandos, instituit Doct. *Haime* (1), qui in iisdem fere morbis, in quibus eandem laudavit Doct. *Berlioz*, cum Acupunctura tentamina sua instituit. Doct. *Demours*, qui peculiarem etiam invenit apparatum, quo Acupuncturam cum cucurbitarum usu conjungit, plura quoque instituit experimenta, dum inter alia, Pneumoniam se et incipientem Amaurosin, acuum usu, sanavisse testatur (2). Recentissimis temporibus, magnam operam in Acupuncturae effectibus salutaribus indagandis posuit Vir Cl. *J. Cloquet* (3), cujus experimentis, quae in Nosocomio St. Louis facere solebat, saepius adstitimus. Quum postea, data opera, de Acupunctura dicendum sit, atque hoc loco non nisi brevis ejusdem in Gallia historia indicanda videretur, ipsa, recentissimis temporibus facta, experimenta hoc loco non recensenda videntur. Si Angliam excipias (4), in aliis Europae

(1) Journal universel des Sciences Médicales, Tom. XIII. pag. 28 seqq. Paris 1819. Annales de la Société de Médecine pratique de Montpellier, Serie 2de Tom. III. pag. 177.

(2) Vid. A. P. Demours, Notice sur l'acupuncture, et sur une nouvelle espèce de ventouse armée des lancettes, dans le Journal universel des Scienc. Méd. Tom. XV. pag. 107 seqq. Paris 1819. — Observations sur les bons effets, que l'on obtient par la réunion de l'acupuncture et de l'application d'une ventouse, dans le Recueil periodique de la Soc. de Médec. de Paris. (Serie II. Tom. V. pag. 161 seqq. — Seconde Notice etc. ibidem pag. 377 seqq.

(3) Mémoire sur l'acupuncture, suivi d'une serie d'observations recueillés sous les yeux de Jules Cloquet, par Morand, Paris 1825.

(4) Vid. v. c. J. M. Churchill, A treatise on acupuncturation, being a description of a surgical operation, originally peculiar to the

pae regionibus, nondum ejusmodi experimenta instituta esse videntur, sed non mirarer, si, post aliquot annos, (exiguum enim temporis spatium forte requiritur ad eandem Parisiis oblivioni tradendam) Acupunctura in alias regiones, quae formas vestium Parisiis obsoletas, avide recipiunt, cum commodis suis ac noxis peregrinaret. Quid autem dicendum; si in Diariis Gallicis (1) legamus, cerebrum, cerebellum, cor, pulmones, ventriculum et reliqua viscera, sine vitae discrimine, acu in animalibus perforari posse? — Infelix felium catulorumque genus his experimentis inserviat, ab hominum autem visceribus abstineat haec Gallorum audacia.

Tempus est, ut de triplici, ad vesicae calculum sanandum, recentiori tempore, a Gallis proposita, methodo breviter dicamus. Quemadmodum totius systematis uropoietici, quatenus ad Chirurgiam pertinent, vitia, *Choparti* et *Desaltii* industria, accuratius et solertius, praecedenti seculo, indagata, atque nostro, quod vivimus, tempore, magis magisque explicata sunt, ita calculo vesicae medendi aptior haud una methodus, nostris temporibus, proposita atque felici eventu probata est. Inter methodos recentiores, in Gallia propositas, referri meretur lithotomia recto-vesicalis, a Doct. *J. L. Sanson* in usum vocata, et anno 1817 descripta (2). Me-

the Japonese and Chinese, and by them denominated *Zing-king* etc. London 1821. Idem in London Medical Repository, Mai 1823.

(1) Videas v. c. experimenta Doctiss. Brétonneau, in Journal universel des Sciençes Médicales, Janvier 1819.

(2) Des moyens de parvenir à la vessie par le rectum; avantages et inconveniens, attachés à cette méthode pour tirer les pierres de la ves-

Methodi hujus inventionem, unanimi, initio, consensu, *Sansono* tribuerunt Expertissimi Gallorum Chirurgi. Quod si dicas, *Vegetium*, Italum, seculo decimo sexto, operationem hanc fieri posse, jam indicasse, atque inter recentiores methodum hanc proposuisse *Christophorum Ludwigium Hoffmannum* (1), patriae Artis honorem, ut facile intelligitur, defendunt, dicendo, methodum hanc antea forte jam indicatam, nunquam autem ante *Sansonum* in usum vocatam esse. Neque haec vera esse, sed *Campero*, Chirurgo nostrati quondam Clarissimo, hanc laudem tribuendam esse, in Actis Academiae Chirurgicae Parisinae (2) legere poterunt. « Memorabile (ibi inquit *Camperus*) fuit « exemplum nautae, ex altissimo malo, sede sua, « in

vessie, Paris 1817. 4to. Conff. Ueber die Methode, Blasensteine durch das Rectum aus zu ziehen, von Dr. Jung und Dr. Welti, mit 1 Kpfr. in Rust's Magazin für die ges. Heilk. XII Bd. I H. pag. 146—233. Salzburg. Medic. Chir. Zeit. Jahrg. 1823. II Bd. N. 48. pag. 353—365. Noethig, über die verschiedenen Methoden des Blasensteinschnittes, besonders über den Steinschnitt durch den Mastdarm nach Sanson, Würzburg 1818.

(1) Von einer neuen Methode den Stein zu schneiden; in den Vermischten Medicin. Schriften, hesausgegeben von H. Chavet, IIter Th. pag. 511. Münster 1791. Conf. Beitrag zur Geschichte des Steinschnitts durch den Mastdarm vom Herrn, Dr. L. Ficker etc. in Graefe's und v. Walther's Journal etc. Bd. V. I H. pag. 142 seqq. Berlin 1823. Neue Jahrbücher der teutschen Medicin und Chirurgie etc. IX Bd. 1 St. 1825. X. Der Steinschnitt durch den Mastdarm seinem ersten Erfinder, dem teutschen Arzt C. L. Hoffmann, vindicirt vom Herausgeber.

(2) P. Camper de incommodis ab Unguentorum et Emplastr. abusu; in Prix de l'Acad. Royale de Chir. Tom. IV. Part. II. pag. 136 seq.

« in festucas ligneas illapsi, quarum aliquae anum « ingressae, usque in vesicam penetraverant. Hinc « fistulae, et urinae per anum stillicidium perpe- « tuum: per integrum annum ita misere vitam tra- « xit, donec in consilium vocatus fistulam explo- « ravi. Festucas sentire quidem, sed forcipe, ob « nimiam resistentiam, protrahere non valui. Ca- « thetera, calculosum concrementum circa festucas « suspicatus, in vesicam demisi. Res evenit, atque « ex fistula, deinceps scalpello incisa, festucisque « duabus, calculos duos oblongos formantibus, ex- « tractis, sanitatem subito recepit aeger. Neque ullo « modo callus, hic valde insignis, obstitit." — Concedimus autem, haec non nisi in peculiari illo casu fecisse *Camperum*, *Sansonum* vero lithotomiam hanc, pluribus periculis factis, data opera, commendasse. Ipsam Viri hujus Doctissimi methodum a *Vacca Berlinghieri* (1), *Barbantino* (2), *Farnesio* et *Gierio* (3) in Italia; a Viris Doctissimis *Williaume* (4), *Pezerato* (5) aliisque in Gallia, et a Doct. *Camoin* (6) demum, institutam et emenda-

(1) Vid. Sanson, des moyens etc., suivis d'un Mémoire sur la méthode d'extraire la pierre de la vessie urinaire, par la voie de l'intestin rectum, par André Vacca Berlinghieri etc., trad. de l'Italien, par L. J. E. Blaquière, Paris 1821. gr. 8vo.

(2) Vid. Journal Complém. du Dict. des Sc. Médic. Tom. VI. pag. 79 seqq.

(3) Vid. Journal Complémentaire etc. Tom. X. pag. 179 seq.

(4) Vid. Journal Compl. l. l.

(5) Vid. Journal Complém. du Dict. des Sc. Médic. Cah. 66. Décembre 1823. Tom. XVII. pag. 128 seqq.

(6) Vid. Observation relative a l'extraction d'un calcul urinaire, operée au moyen de la taille recto-vésicale, dans le Journ. Complém. etc. Cah. 45. Mars 1822. Tom. XII. pag. 19 seqq.

datam, postea, ubi de his data opera erit dicendum, indicabimus, dum nunc monere sufficiat, lithotomia hac recto-vesicali incontinentiam urinae et haemorrhagias evitari majores, minus aliarum partium nobilium laedendarum periculum esse, maximos per illam extrahi posse calculos, atque in universum, post illam factam, e decem aegrotis vix unum succumbere.

Stephanus Halesius, Celeberrimus, qui seculo praecedenti floruit, in Anglia Physicus, magnas aquae vires in physicis expertus, eamque, urinae mixtam, ad calculum in vesica solvendum sufficere ratus, primus fuisse videtur, qui catheterem, duplici canali instructum, vel potius intermedio septo divisum, hunc in finem adhibuerit, simplicisque hujus remedii usum commendaverit (1). Ipsa haec Halesiana methodus oblivioni mox tradita est, dum Chemici nihilominus de meliori solvente remedio, ipsos tamen vesicae parietes non corrodente, cogitarunt, in eoque inveniendo frustra sudarunt. An tale fluidum, in quo inveniendo aut miscendo Cl. *Fourcroy* multique alii Celeberrimi Chemici oleum et operam perdiderunt, unquam in usum suum Chirurgia vocatura sit, justae rationes sunt, quae dubium faciant. Quidquid autem sit, sola aqua destillata, ut pluribus experimentis probatum est, si sufficienti teporis gradu instructa sit, ad nonnullas calculorum species solvendas, vel saltem emolliendas, sufficit. Quid itaque mirum, quod Cl.

(1) Vid. An account of some experiments and observations on M. Stephens medicines for dissolving the stone, London 1740. 8vo.

Cl. *Julius Cloquetus* in pluribus aegrotis, calculo decumbentibus, et curae suae in Nosocomio St. Ludovici commissis, Halesianam hanc methodum in usum iterum vocaverit. Hujus loci non est, ipsam, qua utitur Cl. Cloquetus, agendi rationem indicare, neque etiam observationes Viri Cl. aliorumque de ejusdem usu narrare. Per transennam autem notare liceat, Viros Cll. *Richerandum* atque *Cloquetum*, mense Octobri anni 1824, cum optimo eventu eandem hanc methodum etiam, in Nosocomio St. Ludovici, adhibuisse, ad catarrhum vesicae inveteratum sanandum, quo bis antea jam graviter laboraverat aeger, et a quo, aqua tepida, per catheterem, duplici canali instructum, vesicam percurrente eamque continuo fovente, in usum vocata, convaluit.

Quum Lithotomia, ad nostra usque tempora fere, remedium fuerit anceps neque gravioris periculi expers, non mirandum est, jam antiquissimis temporibus, praeter remediorum usum internum, varia auxilia in usum vocata esse, ad calculum vesicae, sine operatione cruenta, expellendum vel extrahendum. Sic ipsius urethrae inflationem, ad liberum calculo per urethram transitum conciliandum, jam ab Aegyptiis, cum in faeminis, tum in viris, in usum vocatam esse, testatur *Prosperus Alpinus* (1): eodem fere artificio usos fuisse Arabes et ab his illud didicisse *Octavium Roveretum*, praeter *Alpinum*, testis est *Sennertus* (2). Vario mo-

(1) De Medicina Aegyptiorum, Libr. III. Cap. XIV. Venet. 1591.
(2) Institut. Medic. Libr. V. Part. I. Sect. II. Cap. XIII.

modo, per suctum, inflationem, accedentem digitorum pressionem etc., auxilia haec administrata esse, praeter alios indicavit *Swietenius* (1). Quaeritur autem, quando et a quo primum instituta sit calculi, in ipsa vesica haerentis, comminutio, et comminuti per urethram expulsio? Calculum, militum duci *Martino*, Anglo, in India tum temporis degenti, molestissimum, jam ante aliquot annos, per serram, cannula reconditam, ab ipso aegroto in plura frusta divisum atque destructum esse, testatur Doct. *Scott* (2). Similem observationem verbulo indicarunt *Chaussier* et *Percy* (3). Primus autem hanc methodum proponere, et instrumentorum, quae in usum vocari possent, depicta figura et conformatione, ante hos tredecim annos, explicare conatus est Cl. *Gruithuisen*, qui ingeniosissimus auctor, quamvis auxilia a se proposita ipse non adhibuerit, tamen eorundem inventionis laudem meretur (4). A Viro hoc Celeberrimo proposita, calculi frangendi ratio cum illa Doct. *Civiale*, quam indicaturi sumus, in pluribus convenire videtur, in eo autem ab illa differt, quod in instrumentis Viri Cl., ex Bavaria oriundi, filum metallicum conspiciatur, per duo foramina, in inferiori cannulae prioris parte invenienda,

(1) Comment. in Boerhaav. Tom. V. pag. 350 seqq.

(2) Journal of Science and the Arts, Vol. I. pag. 199 seqq.

(3) Rapport, fait à l'Academie etc. l. mox laudand. pag. 17.

(4) Vid. Salzburger Medic. Chir. Zeitung, fortgesetzt von J. N. Ehrhart, für 1813. I Bd. pag. 289 — 331. Conf. J. Leroy, Exposé des divers procedés, employés jusqu'à ce jour, pour guérir de la pierre, sans avoir recours à l'opération de la taille. Paris 1825. 8vo.

da, transmissum, ad inferius catheteris recti orificium ansam constituens, quae ansa calculum excipere et retinere debet, atque, pro lubitu, attrahi et arctior reddi potest (1). Post illum ad calculi comminutionem, instrumentum commendavit *Johannes Eldertonus*, Anglus; qui tamen ipse eodem, in vivo homine, non usus esse videtur (2). Neque tamen haec facere debent ad merita, quae de hac calculorum Chirurgia, recentiori tempore, in Gallia et Parisiis quidem, habuit Doct. *Civiale* (3), parvi facienda aut imminuenda. Non una enim, quam habili instrumentorum suorum usu obtinuit Vir Doct., calculosorum sanatio, cum parvis doloribus et minimo periculo juncta, optime, quatenus hac de re huc usque judicium ferri potest, inventi hujus (4) praestantiam

(1) Vid. l. c. Fig. V. g. h. i.

(2) Vid. Elderton, Description of an instrument for destroying urinary calculs in the bladder; with remarks on the practicability of its employment in the living subjects, and the probability of succes; in Edinburg Medical and Surgical Journal, for 1819. Instrumentum etiam depictum invenitur, in Journ. Complém. du Dict. des Sc. Médicales, Cah. 17. Nov. 1819. Tom. V. pag. 47 seqq.

(3) Nouvelles Considérations sur la rétention d'urine, suivies d'un Traité sur les calculs urinaires, sur la manière d'en connaitre la nature dans l'interieur de la vessie, et la possibilité, d'en opérer la déstruction sans l'opération de la taille, par J. Civiale, Paris 1823. 8vo. avec 2 planches.

(4) Quonam jure pars hujus inventi tribui possit Johanni Eldertono, Josepho le Royo (qui instrumentum suum *lithoprione* nominavit) aut Amusato, equidem statuere non audeo. Conff. L. J. Bégin sur la Lithotritie; dans le Journal Complém. du Dict. des Sciençes Médic. Cahier 93. Mars 1826. Tom. XXIV. pag. 3 seqq. C. Delattre. Quelques mots sur le broiement de la pierre par des procédés mécaniques, Paris 1826.

tiam comprobavit (1). Consistit haec methodus in eo, ut, specillorum continuo majorum usu, per aliquod tempus facto, urethra sensim tantopere dilatetur, ut instrumentorum, qui requiritur, apparatus lithontripticus, per eandem in vesicam possit immitti. Cannula nimirum argentea, catheteris recti formam referens, alteram partem continet, cannulatam etiam, ex chalybe factam, in tria crura desinentem, incurvata atque elastica, ita ut sibi apprimi, et cathetere primo vel cannula abscondi, possint. Si itaque cannulatum, ex chalybe factum, specillum, priori cathetere hactenus reconditum, protruditur, tria, in quae desinit, crura mox a se invicem resiliunt, et receptaculum formant, quo calculus excipi et retineri potest, dummodo tunc specillum in priorem cannulam retrahatur (2). Dum calculus firmiter sic forcipe retinetur, tertium specillum, sive perforatorium, firmum et stabile, ad calculum frangendum idoneum, per tubum alterius catheteris immittitur, et vario modo supra calculum comminuendum movetur. Frusta calculorum, quamdiu forcipe excipi possunt, comminuenda et in pulverem redigenda sunt, donec sua sponte cum urina, aut cum aqua calida, quae per catheterem, duplici canali instruc-

(1) Vid. Rapport fait à l'Académie royale des Sciences, par MM. le Chevalier Chaussier et le Baron Percy, sur le nouveau moyen du Docteur Civiale, pour détruire la pierre dans la vessie, sans l'opération de la taille, Paris 1824. 8vo.

(2) Simili forcipe usus est Stephanus Halesius ad calculos, in urethra haerentes, extrahendos. Vid. van Swieten *Comm.* in Boerhaavii Aphor. Tom. V. pag. 352.

structum, in vesicam propellitur, omnia per urethram expulsa sint (1). Haec methodus in faeminis certe atque in viris, quorum urethra sat larga est aut sufficientem dilatationem admittit, optime instituí potest. Quaeritur autem, an haec auxilia adhiberi etiam possint, si calculi majus volumen referant, aut si durissimi sint, ex oxalate calcis v. c. compositi? An apparatus hic adhiberi etiam possit in infantibus junioribus, arctam admodum urethram habentibus? Ad priorem utramque quaestionem, nemo, quod scio, hactenus respondit, aut etiam, quia nullus forte talis obtinuit casus, respondere potuit. Quod ad tertiam quaestionem attinet, a Doct. *Civiale* audivi, se in novem et dimidii annorum aetatis puero, cum felici eventu, methodum suam instituisse. Maxima autem difficultas in eo mihi posita videtur, quod frusta calculi minora, quae nec forcipe excipi possunt, nec per urethram expelluntur, facile remaneant et futuri calculi nucleum constituant. — Quidquid autem sit, inventum hoc accuratiori certe examine et longiori experientia dignum est, dum tempus optime ejusdem commoda et incommoda indicabit.

Si totius corporis humani conformatio summam ejusdem, prae reliquis animalibus, indicare censeatur praestantiam, hanc potissimum tueri videtur incessus corporis erectus, homini soli a Natura

(1) Nuper prodiit, quam tamen nondum videre licuit, A. G. Rittler Commentatio de methodo lithontriptica, Jenae 1826. 4 maj. cum Tab. aen.

ra concessus, eumque ad coeli, futuri domicilii, contemplationem continuo excitaturus. Hunc si tollas, principem auferre videris corporis pulchritudinem atque, ex erecto et procero illo elucescentem, nobilitatem, ita ut, hominis loco, monstrum tibi intueri videaris. Neque tamen has spinae dorsi deformitates, quibus monstrosi aliquid inest quasque summos dicas a pulchro humano recessus, infrequentes esse putes, quum omnium temporum (1) et omnium fere locorum (2), patriae saltem nostrae (3), historia contrarium doceat. Non mirandum itaque, quod, jam a longo abhinc tempore, Chirurgi de emendandae staturae auxiliis serio cogitaverint, atque in iisdem inveniendis operam suam posuerint ac industriam. — Orthopaediae nomen, quo haec Cosmetices pars, si hujus limites tam late extendere possis, nostris etiam temporibus indicari et describi solet, a tempore, quo Clar.

(1) Jam ab Hippocratis tempore, uti constat ex libro de Articulis et ex Mochlico: videas v. c. editionis et versionis Foësianae (Francofurti 1595) Sect. VI. pag. 82 et 136. Conferatur Galeni Commentarius in hos locos.

(2) „ Zeker man van verdiensten, die meer dan dertig jaren te „ Constantinopolen heeft gewoond, heeft mij verzekerd, dat men on- „ der de Turken geen kinderen met Engelsche Ziekte, of die gebog- „ chelt zijn, ziet." Haec, quae quatenus vera sint, nescio, scripsit Doct. Ballaxserd, in Verhandeling over de Natuurkundige Opvoeding der Kinderen; in de Verhandelingen der Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen, VII Deel, pag. 240.

(3) Sequens est Petri Camperi de Scoliosis, in patria nostra, frequentia judicium: „ In urbibus autem et inter locupletiores, maxi- „ me ridiculum illud vitium obtinet, ita ut inter mille mulierculas „ vix decem spina gaudeant recta." Vid. Dissertatio de regimine infantum; in Verhandelingen etc. l. l. pag. 388.

Clar. *Andry* data opera de hoc argumento scripsit, in usum vocatum esse videtur, quamvis jam diu ante illum, ad sanandas spinae dorsi deformitates, auxilia Mechanica adhibuerint Chirurgi. Nulla autem Chirurgiae pars esse videtur, in qua elaboranda et perficienda tantam, recentiori tempore, per universam Europam, Chirurgi operam posuerint atque industriam, quam quidem haec, quae in variis gibbositatum speciebus, quantum fieri potest, sanandis versatur. Quamvis enim quaevis fere Europae cultioris pars unum saltem nominare possit virum, qui jam seculo decimo septimo, aut decimi octavi initio (1), in hisce notatu quaedam digniora praestiterit, nullum tamen tempus adeo fertile fuit, quam nostrum, quod vivimus, in his spinae deviationibus accuratius describendis, Anatomes pathologicae luce collustrandis, inque methodis variis, ad earundem sanationem propositis, examinandis et indicandis. Scriptionis nostrae ratio non permittit, ut in hujus doctrinae et Artis historiam, qualis apud varios populos fuisse videtur, inquiramus: ut autem quaedam in his, inter Angliam, Germaniam, Galliam atque Hollandiam,

(1) Quid, quod Fabricius ab Aquapendente (Opera Chirurgica, in duas partes divisa, Paduae 1617. fol.), qui medio floruit seculo decimo sexto, et inter Chirurgos sui temporis facile princeps est (secundum testimonium Boerhaavii, dicentis: *superavit enim omnes et nemo illi hanc disputat gloriam*), jam in suum et aliorum usum, ad gibbositates sanandas, instrumenta confecisse dicatur? Notavit haec Doct. E. P. Swagerman, qui in l. mox laudando, pag. 257, citavit Fabricii paginam 506 et 631, editionis, verisimiliter, Lugduno-Batavae anni 1722.

diam, a Lectoribus instituí possit comparatio, praecipua auctorum, Orthopaediam spectantia, scripta indicabimus, quatenus haec saltem vel legendo ipsis cognoscere, vel ab aliis laudata, aut in Diariis dijudicata, passim invenire nobis licuit.

Num revera, auxiliorum Mechanicorum usu, spina curvata ad rectae normam possit reduci? Quaenam, si Ars hoc perficere possit, ejusdem, nostro tempore, in Gallia obtineat ratio? quaestiones sunt, ad quas breviter respondere conabimur.

Quum spinae dorsi deformitates e causis diversissimis, quales sunt ossium emollitio, ligamentorum relaxatio, cartilaginum intumescentia vel etiam consumtio, vertebrarum caries, Rachitis, Anchyloses, inaequalis musculorum actio etc., originem suam habere possint, quumque harum causarum diagnosis saepe difficillima sit, facile intelligitur, quod Cyphoticorum et Scolioticorum sanatio, si alios Chirurgiae effectus evidentissimos in computum voces, non admodum frequentes esse possint. Ab altera autem parte plures gibbositates non nisi e perverso vestitu, vitae regimine, aliisque causis levioribus et magis manifestis, oriuntur, quo in casu Ars certe, aetate aegrotorum nondum nimis provecta, sanitati ac pulchro convenientem, spinae conformationem restituere potest, dum, *quem natura negat, dat Medicina modum.* Ne autem nimis diu in his moremur, et ut aliquomodo saltem pateat, quinam a Chirurgia in his sperari possint effectus, duplicem hic apponere liceat gibbosorum, machinarum usum expertorum et partim his sanatorum, seriem, quarum alteram ex infra lau-

dan-

dandâ Dissertatione Doct. *Reynders*, quae jam ante quadraginta annos Groningae prodiit et extra patriam vix cognita erit, confecimus, alteram, a Doct. *Blömer* in Instituto suo Orthopaedico Berolinensi factam, ex *Hufelandii* Diario (1) mutuati sumus.

Scolioses, quibus, quinque annorum tempore, ab anno 1781—1787. Thoracis, e laminis ferreis compositi, usu, mederi studuit *Reynders*.

morbi gradus.	*aegroti sexus.*	— — *patria.*	*Aegrotorum Aetas.*	*Morbi Causae.*	*Sanationis ratio.*
Scolioses non confirmatae 55. Sc. confirmatae 5.	Sexus virilis 7. Sexus faeminini 53.	E Frisia 16. E Frisiâ orientali 23. E variis Belgii regionibus 21.	18 { ¼ ann. 2, 3 — 1, 4 — 2, 5 — 2, 6 — 1 } 8 { 7 — 4, 8 — 4, 9 — 2 } 39 { 10 — 4, 11 — 3, 12 — 9, 13 — 6, 14 — 2, 15 — 2, 16 — 5 } 41 (7—16) { 17 — 3, 18 — 3, 19 — 2 } 3 { 20 — 1, 21 — 1, 22 — 1 } 11 (17—22)	Rachitis 5. alii morbi chronici 8. Scarlatina 3. Claudicatio 8. Dispos. haered. 3. causae ignotae 23. abusûs Thorac. balaenac. 9. a nativitate jam praes. 1.	Sanati 18. qui adhuc in cura versantur 31. mortuus 1. in quibus successus ulterius indagari non potuit 8. non in integrum sanati 2.
60	60	60	60	60	60.

(1) Hufeland's Journal der Praktischen Heilkunde etc. März. 1826 pag. 117.

 Cur-

Curvaturae, quibus, auxiliorum mechanicorum usu, mederi studuit Doct. *Blömer*.

Curvaturae genus	*aegrotorum numerus*	*aegroti sanati*	*non sanati, vel pro parte sanati.*
1 *Strabismus*	5	2	3
2 *Obstipitas*	22	18	4
3 *Scoliosis*	270	132	94
4 *Kyphosis*	65	27	22
5 *Lordosis*	26	20	6
6 *Coxalgia recens*	9	4	3
7 *Cox. inveterata*	25	partim machinae usu, sanati	14
8 *Valgus*	28	16	7
9 *Varus*	19	10	8
10 *Curvatio cruris.*	32	15	10 — In reliquis, post auxilia mechanica administrata, successus non ulterius indagari potuit.
	501	191	148

Quaeritur nunc, quaenam Orthopaediae, in Galliâ, obtineat ratio? Exemplum *Heinii* (1), quod in Germaniâ plures habuit imitatores, in Galliâ, secuti sunt Expertissimi Viri *Bricheteau* et *Diver-*

nois

(1) Nachricht vom gegenwärtigen Stande des orthopädischen Instituts in Würzburg, von J. G. Heine, dessen Vorstande. Würzburg 1821. 4to.

nois (1), *Maisonnabe* (2), *Humbert* (3) atque fratres *Milly*. Quemadmodum prius Institutum Parisiis inveniri videtur, ita etiam ibidem alterum est, quod auctorem et praesidem habet Doct. *Maisonnabe*, qui nuper lectorum, quibus utitur, exemplar cum Academiâ Medicorum Regiâ, ad ejusdem Sociorum de illis judicium rogandum, communicavit. Illud Doct. *Humbert*, Morlaei ad Mosam, ad septem milliarium Barroduco distantiam, in usum viginti quinque puellarum, anno 1821 conditum est, in eoque summa earundem, si descriptioni fidem habere possis, cura habetur (4). Tertium Institutum, quod nobis in Galliâ innotuit, a Fratribus *Milly*, prope Parisios (à Chaillot) nuper exstructum est, illudque quoque non nisi in usum puellarum inservit. Ex hâc itaque conditione jam constare videtur, spinae dorsi deformitates in faeminis multo frequentiores esse, quam in vi-

(1) Prospectus d'un établissement, destiné au traitement des maladies des enfans, et principalement des vices de conformation, 1821. 8vo. avec fig.

(2) Vidd. Archives générales de Médecine etc. Juin 1825. p. 281.

(3) Vid. Scoutetten l. infra laudando.

(4) „ C'est à ces heureuses modifications, qu'on doit attribuer „ les étonnans succès obtenus par M. Humbert: rien n'échappe à „ son esprit inventif; la maladie se présente en vains sous les for- „ mes les plus variées, un moyen nouveau, aussi-tôt inventé, vient „ la combattre avec efficacité; aussi dirons nous, avec assurance, „ que M. Humbert est le plus habile homme, qu'on connaisse, „ *pour redresser les torts de la Nature.*" — Mirandum, quod non cum Archigene aut Critone heroëm suum, in hoc hyperbolarum pleno, encomio, comparaverit Doct. Scoutetten.

viris: quemadmodum enim in his Galliae Institutis, ita quoque in illo, quod Berolini sub *Blömeri* auspiciis floret, non nisi puellae admittuntur. Idem quoque observationes Doct. *Reynders*, quas communicavimus, abunde probare censendae sunt.

Vidimus Parisiis ectypa quaedam Cyphoticorum et Scolioticorum, e gypso confecta et aegrotorum, Orthopaedicae curae submittendorum, conformationem exhibentia. Plura quoque, ad sanationem hancce praestandam constructa, observare nobis licuit instrumenta aut machinas. Optimarum, quas vidimus, faber erat Dexterrimus *Delacroix*, Mechanicus Parisiensis, qui in Thorace balaenaceo, cum extensionis apparatu conjuncto, quem l. l. indicavit *le Vacher*, congruas quasdam mutationes instituit. Neque tamen hujus Thoracis usum in Nosocomiis observare nobis licuit. Tempore enim, quo Parisiis fuimus, hujusmodi aegrotos nec Cl. *Dubois* nec *Dupuytreni* curae commissos vidimus. Maxime autem mirati sumus, quod in Nosocomiis, quae in infantum, morbis externis vel internis aegrotantium, gratiam adsunt, non major spinae deformitatum ratio haberetur.

F. Glisson, *Tractatus de Rachitide, seu morbo puerili Rikets dicto*, London 1650. 8vo.

P. Pott, *Remarks on that kind of palsy of the lower limbs, which is frequently found to accompany a curvature of the Spine and is suppo-*
sed

sed to be caused by it; together with its method of cure, London 1779. 8vo.

P. Pott, *Further Remarks on the useless state of the lower limbs in consequence of a Curvature of the Spine.*

Th. Sheldrake, *An essay on the various causes and effects of the distorted Spine, and on the improper methods, usually practised, to remove the distortion* etc., London 1783. 8vo.

——— *A practical essay on the Club-Foot and other Distortions in the Legs and Feet of children —— as well as for curing Distortions of the Spine and ever other Deformity, that can be remedied by mechanical applications*, London 1798. 8vo. w. pl.

Ph. Jones, *An essay on Crockedness or Distortions of the Spine etc.*, London 1788. 8vo.

C. H. Wilkinson, *Essays physiological and philosophical on the Distortions of the Spine, the motive power of animals* etc. London 1798. 8vo.

Jam. Earle, *Observations on the cure of the curved Spine, in which the effect of mechanical assistance is considered*, London 1799.

J. Macartney, *Observations on the curvatures of the Spine*, Dublin 1817. 4to. Altera editio prostat *in The London medical and physical journal; by* R. Macleod *and* J. Bacot. Vol. LII. London 1824. 8vo.

W. T. Ward, *Practical Observations on Distortions of the Spine, Chest and Limbs; together with remarks on Paralysis and other diseases, connected with impaired or defective* mo-

motion, London 1822. 8vo. (*Judicium legas in* Rust's *Kritisches Repertorium für die gesammte Heilkunde.* I Bd. Berlin 1823. pag. 160 seqq.)

J. Shaw, *On the Nature and Treatment of the Distortions, to which the Spine and bones of the Chest are subject; with an Inquiry into the merits of several modes of practice, which have hitherto been followed in the treatment of Distortions*, 1823.

——— *Engravings in folio, illustrative of a Work on the Nature and Treatment of the various Distortions, to which the Spine and the bones of the Chest are subject.*

Th. Jarrold, *Enquiry into the causes of the Curvatures of the Spine, with suggestions as to the best means of preventing, or, when formed, of removing the lateral Curvature*, London 1824. (*Ein Auszug in* Gerson's *und* Julius *Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde*, VII Bd. Hamburg 1824. pag. 415 seqq.)

Andr. Dods, *Pathological Observations on the rotated or contorted Spine, commonly called Lateral Curvature, deduced from Practice. In which are shewn the causes, that produce it; the reason of its being mistaken for an incurvation of the Spinal Column; and the means best adopted to its prevention and cure; agreeably to the Authors experience*, London 1824. 8vo. (Epicrisin legas in *Allgem. Mediz. An-*

Annalen etc. *von* Pierer *und* Choulant, 3tes Heft. März. 1825. pag. 386 seq.)

E. Harrison, *Remarques sur la pathologie et le traitement des maladies de la colonne-vertebrale: dans les Annales de la Littérature Médicale Britannique, par* Dubar, Avril et Mai 1825. Tom. III. pag. 1 seqq. pag. 386 seq.)

L. Heister, *Institutiones Chirurgiae*, Amstel. 1730. 4to Tab. XXV. fig. 5.

A. L. C. Watzel (*praeside* P. J. Hartmanno) *De efficaciâ gibbositatis in mutandis vasorum directionibus*, Trajecti ad Viadrum 1778. cum figuris.

E. G. Bose, *Programma de gibbosorum ex Rhachitide molestiis*, Lipsiae 1781. 4to.

J. G. Schmidt, *Descriptio machinae gibbositatis minuendae atque sanandae*, Cassel. 1796. 8vo. cum 2 tabul.

K. S. Braeunert, (*praeside* J. C. Reil) *Historia machinarum ad gibbositatem sanandam*, Halae 1798. 8vo. cum tabulâ.

J. Feiler, *De spinae dorsi incurvationibus earumque curatione*, Norinbergae 1807. 8vo. cum figuris.

B. G. N. Schreger's, *Versuch eines nächtlichen Streckapparats für Rückgratgekrümmte*, Erlangen 1810. 4to. mit 2 Kpfr.

J. C. G. Jörg, *Ueber die Verkrümmungen des menschlichen Körpers und eine rationelle und*

 si-

sichere Heilart derselben, Leipzig 1816. 4to. mit 6 Kpfr.

K. Wenzel, *Ueber die Krankheiten am Rückgrathe*, Bamberg 1824. gr. folio mit 8 Kpfr. (*Epicrisin legas in* Hecker's, *Annalen der gesammten Heilkunde* etc. I Jahrg. Mai 1825. pag. 14 — 48.

N. Andry, *L'Orthopaedie, ou l'Art de prévenir et de corriger dans les enfants les difformités du corps, le tout par des moyens à la portée des pères et mères et de toutes les personnes, qui ont des enfans à élever*, Paris 1741. 2 voll. 12mo.

J. L. Petit, *Maladies des os*, Paris 1758. 2 voll. 8vo.

Nouveau moyen de prévenir et de guérir la Courbure de l'épine, par M. le Vacher, *dans les Mémoires de l'Academie royale de Chirurgie.* Tom. IV. Paris 1768. pag. 596 seqq. avec figur.

Portal; *dans les Mémoires de l'Academie des Sciençes. année* 1772. Tom. II. pag. 482 seqq.

Vacher de la Feutrie, *Traité du Rakitis ou l'Art de redresser les enfants contrefaits*, Paris 1772. 8vo.

Venel (*Helveti*) *Description de plusieurs nouveaux moyens méchaniques, propres à prévenir, borner et même corriger, dans certains cas, les courbures latérales et la torsion de l'é-*

l'épine du dos. Orle en Suisse 1788. avec 2 pl.
A. Portal, *Observations sur la nature et le traitement du Rachitisme, ou des courbures de la colonne vertebrale et de celles des extremités superieures et inferieures*, Paris 1797. 8vo.
P. F. F. Desbordeaux, *Nouvelle Orthopèdie, ou Précis sur les difformités, que l'on peut prévenir ou corriger dans les enfans*, Paris 1805. 8vo.
A. Demussy, *Histoire de quelques affections de la colonne vertebrale* etc. Paris 1812. 8vo.
Fournier, Pescay, Bégin; *dans le Dictionnaire des Sciençes Médicales* etc. *in v.* Orthopaedie. Tom. XXXVIII. Paris 1819. pag. 295--355.
Fodéré, *Mémoire sur les incurvations morbides de la colonne épinière, qui peuvent être redressées par des moyens mécaniques, et sur une maison, établie à Morley* etc. *dans le Journ. complém. du Dict. des Sc. Médic.* Cah. 71. Mai 1824. Tom. XVIII. pag. 193 seqq.
Scoutetten, *Mémoire sur les déviations de la colonne vertébrale et sur les nouveaux moyens d'y remedier, inventés par* M. Humbert, Chirurgien à Morley; *dans la Bibliothèque Médicale, Nationale et étrangère, à la quelle on a réuni les Annales de la Médecine Physiolog. de* Broussais. Cah. 9. Sept. 1824. pag. 275--290.
C. Lachaise, *De la courbure de la colonne vertébrale chez les jeunes filles, et de l'insufficance ou des dangers des lits mécaniques à extension continuée, employés pour son redressement: dans les Archives générales de Médecine.* Tom. IX. Aout. 1825. pag. 501--526.
Mai-

Maisonnabe, *Journal d'Observations sur les difformités ou anomalies de structure, externes et internes, curables ou incurables, dont le corps de l'homme est susceptible à toutes les époques de la vie.* Diarium hoc se publici juris facturum esse, pollicitus est auctor: vid. *Journal de Médecine, de Chirurgie* etc. *redigé* par C. E. S. Gaultier de Claubry, Tom. 89. Octobre 1824. pag. 141 seqq.

A. de Nuck, *Operationes et Experimenta Chirurgica*, L. B. 1692. 8vo. cum fig. Experiment. XXVI. pag. 85 seqq.

H. van Deventer, *Van de ziektens der Beenderen, insonderheid van de Rachitis*, Leyden 1739. 4to.

P. Camper, *Demonstrationum Anatomico-pathologicarum*, Liber IIdus. Continens pelvis humanae fabricam et morbos, Amstel. 1762. fol. pag. 9.

H. Ulhoorn, *Heelkundige Onderwijzingen van* Heister, 3de druk, Amsterdam 1776. 4to. II Deel, in Annotat. ad Cap. IX. pag. 866--875. cum fig.

E. P. Swagerman, *Ontleed- en Heelkundige Verhandeling, van het Waterhoofd, het Watergezwel en verdere bekende gebreken der Ruggegraat. Nevens eenige Aanmerkingen over de Bogchelwording en het Mankgaan* etc. Amsterdam 1767. 8vo. met platen.

G.

G. Coopmans, *Dissertatio de Cyphosi*, Franequerae 1770.

C. H. a Roy, *Dissertatio de Scoliosi*, Lugd. Batav. 1774. 4to.

J. Reynders, *Dissert. de Scoliosi ejusque caussis et sanatione, observatione et propriis experimentis confirmatis*, Groningae 1787. 8vo.

D. van Gesscher, *Aanmerkingen over de wangestalten der Ruggegraat, en de behandeling der ontwrichtingen en breuken van het Dijebeen*, Amsterdam 1792.

W. Vrolik, *Diss. Anatomico-pathologica de mutato vasorum sanguiferorum decursu in Scoliosi et Cyphosi*, Amstel. 1823. 4to. cum 2 tabul. aeneis.

Pauca haec de praecipuis Chirurgiae, recentiori tempore, in Galliâ fatis dixisse sufficiat. Speramus fore, ut Gallorum Chirurgia in posterum etiam majores progressus factura sit; quod optime fieri poterit, si Chirurgi in illas potissimum partes, in quibus Gallia aliis regionibus nunc forte cedere debet, majori studio inquirant, iisdemque majorem perfectionem, suis non tantum verum etiam aliorum laboribus, quibus diligentius utantur, conciliare studeant.

Dolemus, mortem, ne vel per tempus, quo mihi Parisiis degere licuit, Viris Doctissimis, de quibus Lutetia Parisiorum gloriabatur, egregiis Artis fautoribus, parcere voluisse. Annos nimirum octogin-

ginta quinque natus, die octavo Decembris anni 1824, moriebatur *Josephus Franciscus Ludovicus Deschamps*, qui die decimo quarto mensis Martii, anno 1740, natus, Chirurgiam a Cl. *Moreau* edoctus, ab anno 1765 Nosocomii, a Charitate nomen habentis, Chirurgus fuit primarius. Mox illum sequebatur *Petrus Franciscus Percy*, qui anno 1754 natus, studiis suis Besanconi factis, anno 1775 Doctoratus honores nactus, per totam fere vitam Chirurgiam militarem exercuit, et in ultimo bello, ad annum 1815 usque, exercitus fuit Chirurgus primarius, quo munere relicto, usque ad annum 1820 Medicinam in Scholâ Parisiensi professus est, dum, aetate septuaginta unius annorum, die 8vo mensis Februarii anni 1825 e vita discessit. Uterque Vir Celeberrimus placidae et venerandae senectutis gaudia erat expertus: floridâ autem, annorum triginta novem aetate, die 19 Martii anni 1825, Schola Parisiensis perdidit Cl. *P. A. Beclardum*, Virum magnâ doctrinae copiâ instructum et de Anatome meritissimum. Ejusdem in Anatome docendâ cathedram nuper obtinuit Cl. *Cruveilhier*,

---

P. J. G. Cabanis, *Coup d'oeil sur les Révolutions et la Réforme de la Médecine*, Paris 1804.

A. Haindorf, *Beyträge zur Culturgeschichte der Medizin und Chirurgie Frankreichs* etc. Göttingen 1815. 8vo.

P. J. Roux, *Relation d'un voyage fait à Londres*,

dres, en 1814, *ou Parallèle de la Chirurgie Française* etc. Paris 1815. 8vo.

John Cross, *Sketches of the medical Schools of Paris*, etc. London 1815. 8vo.

——————— *Paris et Montpellier, ou Tableau de la Médecine dans ces deux écoles; trad. de l'anglais par* Elie Revel (Pichot *et* de Salle), Paris 1820. 8vo.

J. B. Regnault, *Considérations sur l'état de la Médecine en France, depuis la révolution jusqu'à nos jours*, Paris 1819. 8vo.

J. K. Weisse, *Paris und London für den Arzt*, etc. 1 Bdch. Halle 1821. 8vo.

J. L. Casper, *Characteristik der französischen Medicin*, etc. Leipz. 1822. 8vo.

F. A. Ammon, *Parallele der französischen und deutschen Chirurgie*, Leipzig 1823. 8vo.

J. H. Kopp, *Aerztliche Bemerkungen, veranlasst durch eine Reise in Deutschland und Frankreich*, Franckfurt 1824. 8vo.

E. Otto, *Reise durch die Schweiz, Italien, Frankreich, Grossbritanien und Holland*, etc. I Th. Hamburg 1825. 8vo.

H. J. Logger, *Aanteekeningen op eene wetenschappelijke reis naar Parijs, in den jare* 1818; *in Geneeskundige Bijdragen, door* Pruys van der Hoeven, Logger, Reinwardt *en* Salomon, I stuk, Delft 1825. pag. 96 seqq.

A. Richerand, *Histoire des progrès récens de la Chirurgie*, Paris 1825. 8vo.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS, E QUIBUS CHIRURGIAE, RECENTIORI POTISSIMUM TEMPORE, IN GALLIA PROGRESSUS EXPLICARI DEBERE VIDENTUR.

Variis, pro vario tempore, Chirurgiae in Gallia fatis breviter explicatis, atque incrementis, quae recentiori tempore Ars illa fecisse videtur, indicatis, non incongruum nec omni utilitatis fructu destitutum argumentum censebitur, si ultimo loco in causas inquiramus, quibus haec, quae Chirurgia in Gallia cepit, incrementa potissimum tribuenda videantur. His quippe causis indicatis, Chirurgiae illi progressus, de quibus antea diximus, melius intelligentur, dum universae Chirurgiae in Gallia ratio rectius etiam ex illis cognosci atque explicari poterit: non deërit, dum in argumento hoc explicando versamur, eorum breviter notandorum occasio, quae alioquin aptum e mente nostrâ vix invenissent locum, quaeque tamen ab argumento nostro non plane aliena esse videbantur. Quaeritur itaque, quaenam potissimum causae sint, e quibus explicari et repeti debeant Chirurgiae in Gallia, recentiori tempore, progressus et incrementa? Ad quam quaestionem responsuris, ad singula quaedam attendere liceat, quae ad hujus rei

rei explicationem facere posse judicamus. Primam hujus rei causam datura videtur

I. *Philosophiae in Gallia ratio atque ingenium.* Magnum, quem individuum fere dixeris, Medicinae cum Philosophia nexum esse, atque rerum, quae ad experientiam et observationem pertinent, utilissimarum cognitionem minime sufficere, et vel Medico atque Chirurgo ingenuo parum prodesse, nisi et judicium criticum, et philosopha rerum contemplatio, ad Medicinae studium transferatur, nemo certe in dubium vocare auserit, qui rationem suam interroget, experientiam consulat, atque ipsius, quae Medicinae fata exponit, historiae testimonium audiat (1). Docente quippe historia, optima illa Medicorum magistra, ipsius Medicinae, variis temporibus, ratio ex ipsa Philosophiae, quam tamen non Medicinae praesidem sed famulam dicas, indole atque ingenio repeti ac explicari potissimum debet (2), quum, recte monente *Stollio*

(1) Conf. J. Clarisse, Oratio de conjungenda, in quarumvis doctrinarum, etiam Theologiae studio, cognitione historica et philosopha: iu Annal. Acad. L. B. 1821 — 22. pag. 18 seqq.

(2) Vid. K. Sprengel's Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde, I Th. 3te Aufl. Halle 1821, Einleit. § 4. pag. 5 seq. „ Die Philosophie ist die Mutter der Medicin in wissen- „ schaftlicher Rücksicht, und das Wachsthum der einen steht mit „ der Zunahme der andern Wissenschaft in unzertrennlicher Verbin- „ dung. Diese Verbindung der Geschichte der Philosophie mit der „ Geschichte der Medicin soll uns eigentlich lehren, welches Maas „ von Kenntnissen, welche herrschende Meinung, und welcher Geist „ der Kunst in jedem Zeitalter gewesen.

„ Gewöhnlich borgten die Aerzte ihre Theorieen von den Philoso- „ phen. — Je sorgfältiger man die Geschichte der Medicin studirt, „ de-

lio (1), sine cognita cujuslibet scriptoris medici peculiari philosophandi ratione, vix eosdem possimus intelligere, aut graves in illis interpretandis errores evitare. Eadem jam fuit *Aegidii* Corboilensis sententia, canentis (2):

« *Nam logices ubi fons scaturit, nisi plenius artis*
« *Excolitur ratio, sibi physica figere sedem*
« *Gaudet et ancillis non dedignatur adesse.*"

Quid itaque mirum, quod, in causas Chirurgiae in Gallia progressuum inquisituri, a Philosophia quoque incipiamus; quae qualis seculi decimi octavi initio, et postea etiam, in Gallia fuerit, breviter indicemus.

Johannis Lockii, qui anno tricesimo secundo seculi decimi septimi natus est et, sequentis seculi anno quarto, e viventium numero discessit, Philosophia (3), in qua constituenda, redigenda et scribenda per viginti annos versatus erat, vario doctrinarum genere instructus, auctor Celeberrimus, ex Anglia primum progressa et in Galliam sensim delata, novum nacta est interpretem ac instauratorem *Stephanum Bonnot de Condillac*, qui, an-

„ desto mehr lernt man die herrschenden Meinungen jedes Zeitalters „ aus dem Geiste der jedesmaligen Schul-Philosophie beurtheilen."

(1) Vid. Rat. Medendi Part. I. L. B. 1804. pag. 141.

(2) Vid. Liber de Virtutibus et laudibus compositor. medicaminum etc. P. Leyser Histor. poët. et poëmat. medii aevi etc. Halae Magdeb. 1721. pag. 510.

(3) John Locke, An essay on human unterstanding, London 1690. in folio, cujus operis Prospectus anno 1688. jam prodiit in forma octava.

anno seculi decimi octavi decimo quinto natus; *Lockii* Empirismum magis explicavit et ad sentiendi facultatem potissimum provocavit (1). Hoc Philosophiae fundamentum, ejusdem auctore, anno millesimo septingentesimo octuagesimo, mortuo, in Gallia semper, et in hunc usque diem, magnos habuit fautores, quemadmodum ejusdem philosophandi ratio et nunc etiam Gallorum ingenio maxime placere videtur. Quaeritur autem, quamnam in ipsam Medicinam efficacitatem habuerit haec philosophandi ratio? Ad quam quaestionem responsuri, ab ipsa Anatome possemus incipere atque indicare, quosnam haec Medicinae pars progressus fecerit, a tempore, quo a sensuum perceptione et materiali, ut ita dicam, rerum investigatione omne philosophandi initium sumendum esse, putarunt auctores. Eodem modo ex hoc Philosophiae genere explicare possemus, quare Physiologia experimentalis majora, quam rationalis, in Gallia, recentiori potissimum tempore, ceperit incrementa, et quomodo ipsum Pathologiae, qualis strictiori sensu dicitur, studium adeo, propter eandem rationem, negligi soleat. Nonne, quemadmodum in *Aristotelis* et *Platonis* (in Timaeo v. c. locus ille illustris huc pertinet de εὐκινήτῳ et δυσκινήτῳ) scriptis doctrinae Stahlianae semina inveniuntur, ipsa etiam *Pinellii* Nosographia philosophica, quae Medicinae Gallicae fundamentum potest haberi, ipsi illi philosophiae antea

(1) Etienne Bonnot de Condillac, Essai sur l'origine des connaissances humaines, Paris 1746, 2 voll. 12.

tea indicatae innititur, et plura ubivis hujus rei exhibet testimonia? Eadem res est cum *Broussaisii* doctrina, quorumvis morborum sedem in vitali et organica partium laesione quaerendam esse, docentis. Ipsum autem hoc philosophandi genus, quemadmodum Anatomes studio, ita Anatomiae pathologicae in primis atque Chirurgiae multum profuit, dum utrique huic Medicinae parti magna conciliasse censendum est incrementa.

II. *Ipsius Medicinae indoles atque vario tempore fata.* Medicinam et Chirurgiam, quamvis earundem studium nostro tempore non raro soleat separari, quemadmodum utriusque artis factitatio, jam longo abhinc tempore, a diversis hominibus fieri coepit, illum tamen inter se nexum habere, ut prorsus divelli nequeant, et historia et ratio luculenter videntur probare. Si quippe historiam consulamus et illustre ipsius Hippocratis intueamur exemplum, eundem Medicinae, Chirurgiae et Pharmaciae cognitione praestitisse, et triplici hac arte humani generis saluti inserviisse, deprehendimus: quamvis enim, quo vixit *Hippocrates*, tempore, operationes quasdam a singulis quibusdam hominibus institutas esse sciamus, Medicina tamen et Chirurgia non erant divulsae, sed ab iisdem hominibus exerceri solebant (1). Illo demum tempore, quo Me-

(1) Cicero, Libr. III. De Orat. Cap. XXXIII, hujus Medicinae partitionis, perperam a pluribus receptae, meminit: „Tum „Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis „etiam compluribus, distributione partium ac separatione, magnitu-„dines sunt artium diminutae. An tu existimas, cum esset Hippocra-

Medicinae praxis a sacerdotibus, ob ignorantiam et barbariem suam metuendis, exerceri coepit, Medicina et Chirurgia separatae sunt, atque haec, quam Sacerdotes, propter Ecclesiae a sanguine horrorem, prorsus negligebant, ab hominibus rudioribus, et nulla artis praecepta cognoscentibus, exerceri et institui coepit. Quisnam autem hujus divulsionis fuit effectus? Tristissimus certe, quemadmodum hoc ab eadem illa historia docemur, et antea jam satis indicavimus. Si praeterea rationem nostram interrogemus, haec nobis statim respondere videtur, nullos prorsus inter Medicinam, quae interna nominari solet, atque Chirurgiam constitui posse limites; alteram alteram illustrare debere, neque hanc sine illa, neque illam sine hac, satis posse cognosci, et ne vel unius praxin, sine alterius cognitione et usu, bene institui posse: utriusque itaque, si non praxin, studium saltem semper conjungendum esse (1), atque e conjuncto hoc studio demum op-

„ crates ille Cous, fuisse tum alios Medicos, qui morbis, alios, „ qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur. Num Geometriam, „ Euclide, aut Archimede, num Musicam, Damone, aut „ Aristoxeno, num ipsas litteras, Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum „ complecteretur; atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret."

(1) „ Ego eundem quidem hominem posse omnia ista praestare „ concipio: atque, ubi se diviserunt, eum laudo, qui quam plurimum percipit." Vid. Celsi de Medicina Libr. VII. in Praef. edit. Almeloveen, Amstel. 1687. pag. 406. Huic Celsi judicio plures, recentiori tempore, auctores assentiri noluerunt, aliis sententiam, his Celsi verbis indicatam, strenue defendentibus. In Medicinae et Chirurgiae conjungendae partem, praeter alios, argumenta at-

optima sperari posse, uti Medicinae, sic etiam Chirurgiae incrementa (1).

Quae attulit Doct. M. Mederer, in Diatribe: Von der Nothwendigkeit, beide Medicinen wieder zu vereinigen, Freyburg. 1782. 8vo. Praecedentis autem seculi fine, in certamen literarium, de hoc argumento quaestionem proposuit *Electoralis Academia Literarum utilium Erfurtensis*, quae quatuordecim ad eandem accepit Responsa, quorum tredecim conjunctum Medicinae ac Chirurgiae studium et exercitium suadebant, unum autem contrariam sententiam, quodammodo saltem, profitebatur atque praemium accepit. De quâ ultimo loco diximus, Commentationis titulus est: „J. H. Jügler's Gekrönte Preisschrift über die Frage: Ist est nothwendig, und ist es möglich, die Medizin und die Chirurgie wieder zu vereinigen etc. Erfurth 1799. 8vo. Cum qua Commentatione comparetur aliud Responsum, cujus auctor ab altera parte stetit et secundos honores tulit: J. Stoll's Beantwortung der Frage etc. Giessen 1800. Conferantur etiam, quae, praeter alios, postea disputarunt: A. Eckermann in Dissertatione: An et quatenus studium et exercitium Medicinae et Chirurgiae necessario jungenda sint? Gottingae 1801. 4to. (Commoda ab utraque parte invenienda optime indicavit). A. J. Schütz, Etwas über die Verbindung der Chirurgie mit der Medizin, Mannheim 1802. 8vo. A. Röschlaub, Ueber Medizin und ihr Verhältnis zur Chirurgie etc., Frankfurt 1802. 8vo. J. A. Walther, Die Chirurgie in ihrer Trennung von der Medizln, Nurnberg 1806. 8vo. (Separationem defendit).

(1) „La partie instrumentale et manuelle se perfectionne, pour ainsi „dire, d'elle même. Mais le traitement d'une plaie un peu grave; mais „l'influence d'une opération majeure sur tout le systême; mais certains „changemens profonds, quoique souvent difficiles à saisir, que les maladies universelles et les maladies chirurgicales exercent les unes sur „les autres, méritent la plus grande attention. Le talent ne consiste „pas moins souvent, à rendre inutile une opération, qu'à la bien „faire; à guérir une plaie, ou toute autre affection locale, par des „traitemens internes et généraux, que par l'application des topiques, ou des instrumens les plus ingénieux. En un mot, il faut „que la Chirurgie emprunte les vues médicales; comme la Médeci-„ne

Quae quum ita sint, non incongruum certe erit, si, ut Chirurgiae in Gallia fata eo melius intelligantur, de ipsius Medicinae historia verbulum etiam moneamus. Quaeritur itaque, quamnam doctrinae, quae, seculi decimi septimi fine et octavi initio, e *Stahlii*, *Boerhaavii* et *Hoffmanni* Scholis progressae sunt, in Gallorum Medicinam habuerint efficacitatem? Si historiam iterum consulamus, Stahlianam doctrinam pluribus in Gallia Medicis placuisse, atque Scholam praeprimis, in Monte Pessulano florentem, doctrinam hanc brachiis atque ulnis amplexam esse, docemur. *Theophilus Bordevius* quippe, *Gabriel Franciscus Venelius*, *Franciscus Bourguignon de Bussière*, *de la Mure* aliique Scholae in Monte Pessulano Doctores Stahlianam doctrinam secuti eamque interpretati sunt, quemadmodum *Franciscus Boissierius Sauvagesius* quoque, *Carolus Bonnetus* atque *Paulus Josephus Barthezius* (1) doctrinae ejusdem fautores fuerunt. *Boerhaavius* autem et *Fredericus Hoffmannus*, qui et tempore, quo vixerunt, et doctrina, quam professi sunt, satis conveniunt, plures quoque in Gallia habuerunt Theoriae suae amicos et defensores, dum Academiae, quae Lutetiae Pari-

„ne a souvent besoin d'emprunter les secours Chirurgicaux." Vid. P. J. G. Cabanis, Coup d'oeil sur les Révolutions et la Réforme de la Médecine, Paris 1804. pag. 377.

(1) Barthezii potissimum placitis nunc etiam Medicinae in Monte Pessulano Doctores addicti videntur, et inter hos prae reliquis Physiologiae Professor Lordatus, de quo Librum videas, Exposition de la doctrine médicale de Barthez et Mémoires sur la vie de ce Médecin. Montp. et Paris 1818. 8vo.

risiorum invenitur, Doctores eorundem doctrinam praecipue amplectebantur. Atque his quidem cognitis, optime intelligi poterit ratio, cui potissimum tribuendum sit, quod inter Academiarum, quae in Monte Pessulano et Parisiis florent, in Medicina et Chirurgia Doctores intercessit discrimen. Si quippe, in utraque hac Academia, ad Medicinae et Chirurgiae Theoriam, qualem vario tempore illam profitebantur, attendas, semper fere in altera *Boerhaavii* doctrinam, in altera *Stahlii* dogmata, cujusvis Theoriae fundamentum constituisse videbis; dum vel soli scriptorum Chirurgicorum tituli saepe indicant, utrum eorundem auctor Stahlianam, an vero aliam doctrinam amplexus sit (1).

Idem hoc per quaevis tempora facile comprobare possemus, quum nullum ne vel cogitari possit tempus, quo Medicina atque Chirurgia adeo fuerint separatae, ut haec non ab illa semper varias doctrinas mutuata sit, aut ut utraque non mutuam sibi praestiterit opem. Hoc etiam recentissima Chirurgiae in Gallia fata videntur docere, quum Cl. *Laenneci* Stethoscopus v. c. ad fracturarum aliarumque laesionum externarum et internarum diagnosin, non sine magno, ut videtur, fructu, transferri soleat, quumque *Broussaisii* doctrina in recentiorum scriptorum Chirurgicorum titulis frequenter nunc soleat indicari.

Ni-

(1) Conferri merentur, quae scripsit Doct. Descrimes, Réflexions critiques sur l'état de la Médecine dans les écoles de Montpellier et de *Paris*, depuis la fin du dernier siècle; dans le Journal complém. du Dict. des Sc. Médic. Tom. VI. Cah. 24. pag. 289—302, et Tom. VII. Cah. 25. pag. 26—40.

Nimis longa foret haec disputatio, si etiam de Chemiae, Physices aliarumque disciplinarum auxiliatricium incrementis dicere vellemus; haec autem Chirurgiae in Gallia non parum profuisse, nullum certe est dubium.

III. *Anatomes prae reliquis scientiis majores, recentiori tempore, in Gallia progressus.*

Si in progressus, quos Anatome in Gallia, a seculo decimo octavo in hunc usque diem, fecisse videtur, inquiramus, eosque tantos, quanti revera fuerunt, inveniamus, optime certe ex his etiam Chirurgiae in Gallia, per tempus hoc, incrementa explicare nobis poterimus. Neminem enim fugiunt *Johannis Ludovici Petiti*, *Francisci de la Peyronie*, *Jacobi Benigni Winslowi*, *Johannis Senaci*, *Francisci Hunaldi*, *Antonii Ferreinii*, *Nicolai le Catii*, *Petri Demoursii*, *Exupatris Josephi Bertini*, *Josephi Lieutaudii*, *Theophili Bordevii*, *Georgii Ludovici Leclerc de Buffon*, *Ludovici Johannis Mariae Daubentoni*, *Felicis Vicq d'Azyrii*, *Raphaëlis Beneventi Sabatierii*, atque tot aliorum Anatomicorum celebriorum nomina, quorum grata posteritati est recordatio. Seculo autem decimo octavo ad finem vergente, optime de Anatome meritus est *Petrus Desaltius*, qui quidem anatomica scripta non edidit, Anatomen autem optime docuit, ejus studium apprime commendavit, et in ipsa cadaverum diligenti sectione, Tabulis anatomicis ad unam omnibus rejectis, veram professus est Anatomes discendae rationem. Quid autem de magni praeceptoris discipulo majori dicemus, de

 Ma-

Maria Francisco Xaverio Bichato nimirum, Anatomico hujus seculi summo, cujus praematuram mortem cum Gallia et universa Europa lugemus? Talia ac tanta profecto hic in Anatome praestitit, ut huic optima et maxima incrementa, sibi autem nomen immortale comparasse censendus sit. Seculo demum, quod vivimus, decimo nono *Maygrierius*, *Marjolinus*, *Leveilleus*, *Cloquetus*, *Ribesius*, *Gaulthierius*, *Gallius*, *Spurzheimius* atque plures alii Viri Clarissimi Anatomen variasque illius partes scriptis suis explicarunt, dum in Nomenclatura, quae dicitur, Anatomica magna sunt *Chaussierii* et *Dumasii* merita.

IV. *Anatomes pathologicae in Gallia ratio, atque Anatomes Chirurgicae, recentiori tempore, studium.*

Anatome pathologica quanti momenti habenda sit in sanioris Medicinae et subtilioris Chirurgiae cognitione acquirenda et perficienda, illi potissimum percipiunt, quibus notum est, quid accurata morbo denatorum perscrutatio ad diagnoseos doctrinam vel explicandam vel perficiendam contulerit, aut in posterum etiam conferre possit. Anatome pathologica quippe morbosam organorum conformationem, id est ipsam corporis labem organicam, alias penitus saepe delitescentem, inquirentium oculis subjecit et ita ipsas morborum sedes atque causas indicavit: praeterea autem docuit, ipsas illas laesiones organicas multiplici modo variare et plures constituere species, characteribus et symptomatibus peculiaribus saepe insignes et his a se invicem dignoscendas. Intelligitur jam, fieri non pos-

posse, quin morborum Aetiologia atque Nosologia magna ex Anatome pathologica percipiant incrementa, et quin, aeque ac Medicinae, Chirurgiae quoque multum haec disciplina profuerit (1). Quaeritur autem, quaenam ejusdem obtinuerit et obtineat in Gallia ratio? Ad quam quaestionem breviter respondeamus, dicendo, *Raymondum Vieussensium*, *Alexin Littrium*, *Petrum Duverneyum*, *Petrum Dionisium*, *Petrum Chiracum*, *Salvatorem Morandum*, *Jacobum Benignum Winslowum*, *Josephum Lieutaudium*, *Petrum Desaltium*, *Felicem Vicq — d'Azyrium*, atque alios Viros Celeberrimos, cadavera humana, ad morborum causam eruendam, saepius dissecuisse atque scriptis suis plerosque eorum probasse, quid in Anatome pathologica praestiterint. Magna praeprimis *Bichati* de hoc quoque argumento sunt merita, quippe qui Vir Cl. non tantum, magno cum studio, in laesiones partium organicas inquisiverit, sed has quoque egregie et ingeniose explicaverit (2). Post illum, Viri Doctissimi *Corvisart*, *Senac*, *Pinel*, *Portal*, *Laënnec*, *Recammier*, *Bayle*, *Dupuy-*

(1) Conff. J. B. Bousquet, Quelques Réflexions sur l'Anatomie pathologique, considerée dans ses rapports avec la Science des maladies; dans le Journ. complém. du Dict. des Sc. Médical. Cah. 28, Octobre 1820. Tom. VII. pag. 289 seqq. J. F. E. Ladevèze, Mémoire sur cette question: Déterminer l'influence de l'Anatomie pathologique sur les progrès de la Médecine etc. ibidem Cah. 43. Janv. 1822. Tom. XI. pag. 193 seqq. Cah. 56. Févr. 1823. Tom. XIV. pag. 289 seqq. Cah. 58. Avr. 1823. Tom. XV. pag. 97 seqq.

(2) Nuper prodiit: Anatomie pathologique. Dernier Cours de Xavier Bichat, d'après un Manuscrit autographe de P. A. Béclard; avec une notice sur la vie et les travaux de Bichat, par F. G. Boisseau, Paris 1825. 8vo.

puytren, *Prost*, *Chaussier*, *Alibert*, *Villermé*, *Lallemand*, *Rochoux*, *Rostan*, *Riobé*, *Serres*, *Ribes*, *Cruveilhier* aliique in Anatome pathologica variis observationibus illustranda versati sunt, et hac ratione plurium morborum sedem et indolem accuratius indicarunt (1).

Quod ad Anatomen Chirurgicam denique attinet, hujus quoque studium a *Desaltii* tempore, in Gallia, coli coepit, quum magnus cadaverum numerus hunc in finem secari soleat, atque Cl. *Béclardi* potissimum lectiones, in Academia Parisiensi, ad illam discendam tironibus soleant inservire. Mirum autem est, quod, dum hanc Anatomes partem sedulo semper in cadaveribus indagaverunt, scriptis eandem minus explicaverint Gallorum Anatomici atque Chirurgi. Per longam enim annorum seriem, non nisi *Palfyni* nostratis Anatome Chirurgica, a *Boudono* et postea ab *Antonio Petito* curata (2), studio huic in Gallia inservire potuit, et, ultimis demum annis, huic inopiae ipsi Gallorum Chirurgi satisfacere conati sunt. Quemadmodum nimirum in Anatome Chirurgica plura praestiterunt in Germania *Rosenmullerus* et *Langenbeckius*

(1) Conferri possunt, quae inveniuntur in Aperçu historique sur l'anatomie pathologique, suivi d'un essai d'une nouvelle classification des tissus accidentels par M. Heusinger; dans le Journal Complémentaire du Dictionnaire des Sciençes Médicales, Tom. XX. Paris 1824. pag. 30 seqq. Rayer, Sommaire d'une histoire abregée de l'Anatomie pathologique, Paris 1818. 8vo.

(2) J. Palfyn, Heelkonstige ontleeding van 's menschen ligchaam, Leyden 1718. 8vo. I édit. franc. par l'auteur, Paris 1726. II voll. 8vo. 2de édit. par Boudon, ibid. 1734. II vol. 8. 3me édit. par A. Petit, Paris 1753. 2 voll. 8vo.

ius, ita in Gallia Tabulis Chirurgico-Anatómicis antea desideratis hanc Anatomes partem data opera explicare studuerunt Viri Doctissimi *Maingault* (1) et *Velpeau* (2).

V. *Methodologia, secundum quam in Medicinae et Chirurgiae studia incumbere solent ac debent utriusque salutiferae Artis in Gallia tirones.*

Inter causas, quibus Chirurgiae, recentiori tempore, in Gallia progressus tribuendi videntur, quaeque in posterum potissimum multum ad Chirurgiae incrementa facturae sunt, ipsa referri meretur studiorum ratio, qualis haec Medicinae Doctoratum concupiscentibus, ante quinque fere annos praescripta, atque regia lege sancita est (3). Medicinae quippe studiosi, post biennium in Philosophiae studio diligenter positum, de variis ejusdem partibus interrogari debent, ut, si quaestionibus sibi factis rite satisfecerint, Scientiarum Bacca-

(1) Maingault, Médecine Opératoire, ou Traité des amputations, qui se pratiquent sur le corps humain, représ. par des figures de grandeur naturelle et lithographiées, ayant en regard le manuel opératoire propre à chacune d'elles. Paris 1822 gr. fol.

(2) A. L. M. Velpeau, Traité d'Anatomie Chirurg. etc. II voll. 8vo. avec 14 Planches, Paris 1825.

(3) Vid. Recueil des ordonances du Roi et des arrêts du Conseil royal de l'instruction publique, concernant les inscriptions, dans les Facultés et dans les Ecoles secondaires de Médecine etc. contenant le plan d'études des aspirans au Doctorat et celui des aspirans au titre d'Officiers de Santé. Paris 1820. 8vo. Conf. Almanach Médical pour l'année 1824. etc. chez. Crevot. pag. 6. Projet de loi sur les écoles secondaires de Médecine, présenté à la Chambre des Députés dans la Séance de Lundi 14 Février 1825; Gazette de Santé, 25 Fevr. 1825. N. VI.

calaurei titulum et jura acquirant. Studiis his, quae propaedeutica dici solent, fine imposito, ad Medicinae studia possunt transire, in cujus variis partibus addiscendis per quatuor annos debent versari, dum, quovis mense Novembri, Januario, Aprili et Julio incipiente, nomina sua discipulorum seriei inscribere debent (prendre une inscription), ut sedecim illis inscriptionibus probent, studiorum tempori, lege praescripto, se satisfecisse (1). Quinquies nunc ad varias, de Medicina sibi factas, quaestiones respondere debent: primo de Anatome et Physiologia; secundo de Medicina, strictiori sensu dicta, atque Chirurgia; tertio de Chemia, Botanice et methodo praescribendi formulas (l'art de formuler); quarto de Medicina legali et Materie Medica; quinto de Medicina et Chirurgia Clinica (2). Denique, ut ipsum Medicinae Doctoratum adipiscantur, Dissertationem, Gallice plerumque scriptam, atque Aphorismos Hippocraticos illi annexos, argumentis sufficientibus debent defendere, et ad quaestiones institutas respondere (3): quibus rite peractis ipsum Doctoratus in Medicina diploma accipiunt (4).

Lectiones autem, quibus, per quatuor, ut diximus, annos, interesse debent Medicinae studiosi, sequentes sunt:

An-

(1) Les quinze premières inscriptions se paient 50 fr. chaque et la seizième 35 fr.

(2) Chacun de ces examens coute 30 fr.

(3) Ce dernier examen coute 65 fr.

(4) Ce diplome est payé 100 fr.

Annus primus: Inscriptio prima, altera, tertia, quarta.	Hieme	*Anatome.*
		Physiologia.
		Chemia.
	Aestate	*Physica Medica* (ὑγιεινή).
		Pathologia externa.
		Botanice.
Annus secundus: Inscriptio quinta, sexta, septima, octava.	Hieme	*Anatome.*
		Physiologia.
		Chirurgia Operativa.
	Aestate	*Hygiene.*
		Pharmacia.
		Pathologia externa.
		Chirurgia Clinica.
Annus tertius: Inscriptio nona, decima, undecima, duodecima.	Hieme	*Chirurgia Operativa.*
		Chirurgia Clinica.
	Aestate	*Pathologia interna.*
		Materies Medica.
		Medicina Clinica.
Annus quartus: Inscriptio decima tertia, decima quarta, decima quinta, decima sexta.	Hieme	*Medicina Clinica.*
		Historia Medicinae.
	Aestate	*Pathologia interna.*
		Medicina forensis.
		Chirurgia major (Clinique de perfectionnement).
		Ars Obstetricia.

Ex

Ex hac studiorum, quae lege praescripta est, ratione facile confici posse videtur, Medicinae atque Chirurgiae studium semper conjungi debere, atque, in hujus potissimum gratiam, pluribus lectionibus interesse debere Medicinae studiosos. Per duplicem quippe cursum semestrem in Anatomiam, per duplicem etiam in Pathologiam externam, per idem tempus in Chirurgiam Operativam, per triplicem cursum semestrem in Chirurgiam Clinicam, atque per unum demum in Artem Obstetriciam addiscendas incumbere debent omnes, qui Medicinae Doctores se profiteri quondam cupiunt, ita ut per longius tempus Clinicae Chirurgicae, quam Medicae, debeant interesse. Patet hinc, quaenam Chirurgiae in Gallia tribui soleat dignitas, et quomodo studiorum etiam ratio ad progressus eidem conciliandos composita sit.

VI. *Ipsius institutionis Medicae et Chirurgicae in Gallia ratio.*

Quum, ut Chirurgiae in Gallia ratio eo melius intelligeretur, ejusque progressus explicari possent, breviter rationem indicaverimus, secundum quam illius et Medicinae studia fieri debeant, nunc quoque ab argumento nostro non alienum videtur, ut ad ipsius institutionis rationem attendamus, et varias vias modosque indicemus, quibus Medicinae et Chirurgiae studiosi ad finem suum pervenire et legi sibi praescriptae satisfacere possint.

Uti magna Lutetiae Parisiorum invenitur discentium copia, ita non minor est in hac Academia docentium numerus. Praeter Professores quippe Or-

Ordinarios (1) (Professeurs de l'école), alii sunt Honorarii (2) (Professeurs Honoraires), dum major etiam invenitur Adjunctorum (Professeurs Aggrégés) (3) numerus, qui omnes Viri Clarissimi in variis Medicinae partibus docendis versantur, uti hoc breviter indicabimus.

Inter hos Viros Clarissimos, quamvis nonnullorum nomina extra patriam forte minus cognita sint, plerique maxime excellunt, sive eorundem doctrinam, et in docendo praestantiam, sive eorundem, in scribendo aut practico Artis salutaris exercitio, merita plurima spectes. Neque hoc mirum; ambitiosus enim, qui fuit, Galliae imperator, Augusti, Romam ad summum gloriae culmen evehere quondam studentis, exemplum illustre imitari conatus, ubivis fere terrarum, Viros, doctrina prae

re-

(1) Numerus Professorum, secundum regiam legem, quae die 2 Februar. 1823 data est, pro Facultate Medica est 23. Sequentes sunt Alibert, Béclard (in cujus locum nuper successit Cl. Cruveilhier), Bertin, Bougon, Boyer, Cayol, Clarion, Déneux, Desormeaux, Duméril, Dupuytren, Fizeau, Fouquier, Guilbert, Laennec, (quem Virum Cl., die 13 m. Aug., anni hujus 1826, obiisse video) Landré-Beauvais, Marjolin, Orfila, Pelletan le fils, Recamier, Richerand, Roux, Royer-Collard.

(2) Plures eorum post novam legislationem, e politicis potissimum causis, munus suum perdiderunt. Sunt autem nunc sequentes Chaussier, de Jussieu, Desgenettes, Deyeux, Dubois, Lallement, Leroux, Moreau, Pelletan le père, Pinel et Vauquelin.

(3) Hi sequentes sunt: Adelon, Alard, Arvers, Breschet, Capuron, Chomel, Cloquet ainé, Coutanceau, Gaulthier de Claubry, Guersent, Jadioux, Kergeradec, Moreau, Mérat, Maisonnabe, Parent Duchatelet, Pavet de Courteille, Ratheau, Richard, Rullier, Ségalas, Serres, Thevenot.

reliquis claros, quaesivit eosdemque Lutetiam Parisiorum arcessere non dubitavit, utpote quae, quovis fere sensu summos jam favores experta, et quibuscumque potissimum doctrinarum instrumentis et auxiliis, prae sororibus suis, instructa, magis magisque continuo inclaresceret, atque caput suum extolleret.

Lectiones, quae dici solent, Medicinae et Chirurgiae theoreticae ab earundem Professoribus Ordinariis dari solent, in magno Scholae Medicae Amphitheatro, in quo etiam Doctorandorum Dissertationes solent defendi. Sequentem in eorum, quorum interesset, gratiam, harum lectionum seriem breviter apponere hic liceat: dies autem et horae, quibus haberi solent, mitti posse videntur.

Lectiones hiemales, 5 *Nov.* 1824 — 5 Apr. 1825.

Anatome — Béclard.
Physiologia — Duméril.
Chemia Medica — Orfila.
Pathologia Chirurgica — Marjolin; Roux.
Pathologia Medica — Fizeau; Fouquier.
Operat. Mehodus et fasc. apparatus—Richerand.

Clinice Chirurgica	Boyer; Dupuytren; Bougon;	In Nosocomio Facultatis Medicae.
Clinice Medica	Recamier Laennec	Hôtel-Dieu.
Clinice Obstetricia	Landré-Beauvais Cayol Deneux.	Charité.

Lec-

Lectiones aestivae, a die 5 m. Apr. — 25 Aug.

Pathologia Medica — Fouquier; Fizeau.
Pathologia Chirurgica — Roux; Marjolin.
Medicina Legalis — Royer-Collard.
Hygiene — Bertin.
Ars Obstetricia — Desormeaux.
Physica Medica (Phys. Médicale) Pelletan fils.
Historia Naturalis Medica — Clarion.
Therapeutice — Alibert.
Pharmacologia — Guilbert.
Clinice Chirurgica }
——— *Medica* } idem.
——— *Obstretricia.* }

Scholae Pharmaceuticae lectiones mense Martio incipiunt et mense Septembri finiuntur: in hac Schola sequentes lectiones solent haberi:

Chemia Pharmaceutica (Chimie appliquée à la Pharmacie) Bouillon-Lagrange; Henry.
Pharmacia practica — Nachette; Bouriat.
Historia naturalis et medica remediorum simplicium (*des drogues simples*) Robiquet; Pelletier.
Botanice — Guyard; Clarion.

Plura praeterea Instituta sunt, quorum Professores publice solent docere, dum horum lectionibus Medicinae et Chirurgiae studiosis interesse etiam licet: sic in horto Botanico docent Viri Clarissimi Cuvier, Lacepède, Blainville, De-

candolle, alii; in Collegio Gallico (Collège de France) Thénard, Portal, Biot etc.; in Collège du Plessis Gay-Lussac, Hauy etc.

Praeter lectiones hactenus indicatas, plures, cum a Professoribus Extra-Ordinariis (Professeurs Aggrégés), tum ab aliis Viris Doctissimis, lectiones privatae (Cours particuliers) solent haberi, quarum tanta Lutetiae Parisiorum invenitur copia, ut omnes vix memorari possint. Sequentes indicasse sufficiat:

Anatomiam docent Amussat; Blandin; J. Cloquet; Heller; Maingault; Serres; Velpeau.

Physiologiam Adelon; Heller; Magendie; Piorry; Ségalas.

Medicinam docent Broussais; Chomel; Lugol; Ségalas.

Chirurgiam Breschet; Lisfranc; Maingault; Sanson.

Methodum Operationum Chirurgicarum in cadavere Amussat; Blandin; Breschet; Cloquet; Lisfranc; Velpeau.

Artem Obstetriciam atque morbos faeminarum et infantum Capuron; Collomb; Dufrenois; Hattin; Hureau; Lebreton; Maygrier; Merrieu; Moreau; Velpeau. Mesdames Dutilleux, Lacours.

Neurologiam et *Craniologiam* Gall; Spurzheim.

Historiam Naturalem Medicam Achille Richard.

Ma-

Materiem Medicam et *Therapeuticam* H. Cloquet; Hanin Demerson.
Medicinae studia elementaria Beullac.

Triplici hac lectionum serie Lectores meos non fatigassem, nisi illarum indicatio aliquam visa fuisset habere utilitatem: si nimirum lectionum, quae a Professoribus Ordinariis habentur, seriem excipias, reliquae lectiones separatim tantum Lutetiae solent indicari, ita ut saepe variarum ignoratio hinc oriatur. Praeterea lectiones illas indicavimus, ut multiplex hinc innotesceret occasio, quae Medicinae et Chirurgiae studiosis praebetur, ut, studia sua facturi, optionem facere, vel pluribus de eodem argumento lectionibus interesse, possint. Anatome autem, ut ad argumentum nostrum redeamus, et variae Chirurgiae partes non tantum a pluribus Viris Clarissimis explicantur sed egregie etiam in cadaveribus doceri solent, ita ut hinc etiam intelligere possis, quos Chirurgia in Gallia fecerit, et in posterum etiam factura sit, progressus egregios.

Auctorum, Chirurgiam Parisiis docentium et in Nosocomiis facientium, Scripta praecipua.

Quum peregrinatori ipsi, Lutetiam adeunti, atque notatu quaecumque dignissima videre et indagare cupienti, magna jam oriatur difficultas, unius anni aut brevioris temporis spatio, singulos cognoscendi et aliquomodo dijudicandi Viros Clarissimos atque Doctissimos, Chirurgiam aut aliquam ejusdem partem docentes, vel eandem, in aegrotantium com-

modum, in Nosocomiis facientes, aut praesidio suo dirigentes, haec difficultas multo major esse debet in Observationum harum Lectoribus, quippe qui e sola lectionum Serie et brevi Nosocomiorum, quam daturi sumus, descriptione, Chirurgos, quibus Lutetia Parisiorum gloriatur, minime cognoscere possint. Quum autem, tanquam in speculum, in aliorum vitas inspicere, atque ex his exemplum nobis sumere debeamus, nemini ineptum videbitur, si, pro parte saltem, hanc personarum ignorationem tollere studeamus; quem in finem, quum nullo modo hoc brevius fieri posse videatur, eorundem praecipua indicabimus scripta, e quibus artis et scientiae ambitum, quem colunt, atque ingenii eorundem cultum et vires aliquatenus conficiamus.

J. L. Alibert, *Médecin de l'hôpital Saint-Louis et Professeur de l'école*). *Nouveaux élémens de Thérapeutique et de Matière médicale.* 4. edit. Paris 1817. 2 voll. 8vo. 5. édit. 3 voll. 8vo. Paris 1826.

——— *Traité des fièvres pernicieuses ou ataxiques intermittentes.* 5. édit. Par. 1820. 8vo.

——— *Précis théorique et pratique sur les maladies de la Peau.* 2. édit. Paris 1822. 2 voll. 8vo.

——— *Description des maladies de la Peau, observées à l'hôpital St. Louis, et exposition des meilleurs méthodes suivies pour*

leur

leur traitement, Paris 1806. gr. fol. pap. vélin, figur. color. X Livraisons.

J. L. Alibert, *Nosologie naturelle, ou les maladies du corps humain, distribuées par familles.* I. vol., Paris 1816. gr. 4to pap. vél. avec figur. coloriées.

——————— *Discours sur les rapports de la Médecine avec les Sçiences physiques et morales*, Paris an. VII. 8vo.

——————— *Physiologie des Passions, ou nouvelle Doctrine du Sentiment Moral*, Paris 1825. 2 voll. 8vo. avec 6 gravures.

——————— *Eloges historiques de* Roussel, Spallanzani *et* Galvani, *suivis d'un Discours sur les rapports de la Médecine etc.*, Paris 1806. 8vo.

J. A. Barbier, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital du Val- de Grace*) *Propositions de Chirurgie pratique sur l'amputation à lambeaux*, Paris 1804. 4to.

P. A. Béclard, (*Chirurgien de l'hôpital de la Pitié et Professeur*) *Additions à l'Anatomie générale de Bichat*, Paris 1821. 8vo.

——————— *Elémens d'Anatomie générale, ou Description de tous les genres d'organes, qui composent le corps humain*, Paris 1823. 8vo.

——————— *et* Jules Cloquet. *Traité des Hernies; trad. de l'anglais de* W. Lawrence, Paris 1818. 8vo.

Anatomie pathologique. Dernier *Cours de* Xavier Bichat, *d'après un Manuscrit auto-*

 gra-

graphe de P. A. Béclard; *avec une Notice sur la vie et les travaux de* Bichat; par F. G. Boisseau, Paris 1825. 8vo.

A. Boyer, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital de la Charité et Professeur*) Mémoire pour le concours de la place de Chirurgien à l'hôpital de la Charité, *sur la meilleure forme des aiguilles, destinés à la réunion des plaies et à la ligature des vaisseaux, et la manière de s'en servir;* dans le *Bulletin de la Société médicale d'émulation.* Tom. III. pag. 79 seqq.

——— *Traité complet d'Anatomie, ou Description de toutes les parties du corps humain.* Paris 1797—1799. 4 voll. 8vo. 4. édit. Paris 1815. 4 voll. 8vo.

——— *Elémens de Pathologie externe, tirés des léçons de* Boyer, *par* Aubin, Paris 1802. 2 voll. 8vo.

——— *Léçons sur les maladies des os, rédigées en un Traité complet de ces maladies,* par Richerand, Paris 2 voll. 8vo.

——— *Journal de Médecine, de Chirurgie et de Pharmacie,* par M. M. Corvisart, Léroux et Boyer, Paris 1801--1814. 8vo.

——— *Traité des maladies chirurgicales et des opérations, qui leur conviennent;* 3. édit. Paris 1818--1826. Tom. I--X. 8vo.

G. Bréschet (*Chef des travaux anatomiques de la Faculté de Paris et Professeur Agrégé*) *Dissertation sur les hydropisies,* Paris 1812. 4to.

G. Bréschet, *Traité des maladies des Artères et des Veines, traduit de l'anglais* d'Hodgson, Paris 1819. 2 voll. 8vo.

——————— *Essai sur les veines du* Rachis. *Recherches historiques et expérimentales sur la formation du cal. Considerations et observations anatomiques sur la hernie fémorale ou mérocèle. Art de l'Anatomiste, de la dessiccation et des autres moyens de conservation des pièces anatomiques*, Paris 1819. 8vo.

——————— *Traité sur la mélanose*, Paris. 1821.

J. Cloquet, (*Chirurgien en sécond de l'hôpital Saint-Louis et Prosecteur*) *Recherches anatomiques sur les hernies de l'abdomen et Recherches pathologiques sur les causes et l'anatomie des hernies abdominales, faisant suite au Mémoire précédent*, Paris 1817--1819. 4to. avec 14 planches.

——————— *De la Squelettopée, ou de la préparation et de la construction du squelette*, Paris 1819. 4to.

——————— *Mémoire sur la membrane pupillaire et sur la formation du petit cercle arteriel de l'iris*, Paris 1818. 8vo.

——————— *Mémoire sur les factures par contre-coup de la mâchoire supérieure*, Paris 1820. 8vo. avec fig.

——————— *Mémoires sur l'existence et la disposition des voies lacrymales dans les Serpens.* Paris 1821. 4to. avec fig.

——————— *De l'influence des efforts sur les or-*

organes renfermées dans la cavité thoracique. Paris 1820. 8vo.

J. Cloquet, *Anatomie de l'homme, ou Description et Figures lithographiées de toutes les parties du corps humain*, Paris 1821–1826. XXV Livraisons. fol.

——————— *Anatomie des Vers intestinaux, ascarides, lombricoïdes et echinorhynque géant.* Paris 1824. 4to. avec 8 planches.

——————— *Manuel d'Anatomie descriptive du corps humain, représentée en planches lithographiées.* I. Livraison. Nov. 1825. 4to.

——————— *Mémoire sur l'acupuncture, suivi d'une Série d'observations, par* M. Morand. *Ouvrage redigé et publié sous les yeux de* Mr. Cloquet, Paris 1825. 4to.

Cullerier, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital des Vénériens*) *Mémoires sur la salivation et Rapport sur le sulfure de chaux contre cette sécretion.* Paris.

——————— *Plusieurs articles sur les maladies Syphilitiques dans le Dictionnaire des Sçiences Médicales.*

——————— *Sur la nécrose des os du crane* etc. *dans l'Annuaire des hôpitaux* etc. *l. laudando.*

J. F. L. Deschamps, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital de la Charité*) *Traité historique et dogmatique de l'opération de la taille*, Paris 1796 et 1797. 4 voll. 8vo.

G. Dupuytren, (*Chirurgien en Chef de l'hôtel-Dieu et Professeur*) *Propositions sur quelques*

ques points d'Anatomie, de Physiologie et d'Anatomie pathologique, Paris 1803. 8vo.

G. Dupuytren, *Mémoire, concernant les effets, qu'entraîne la ligature des nerfs pneumo-gastriques sur la réspiration, dans le* I[ier] vol. *de l'Annuaire des hôpitaux et hospices civils de Paris*, Paris 1820. 4to.

——— *Mémoire sur les fractures de l'extremité inferieure du péroné, les luxations et les accidens, qui en sont la suite*, ibidem.

——— *Médecine Opératoire de* Sabatier, *nouvelle édit., faite sous le yeux de* M. Dupuytren, *par* Bégin et Sanson, Paris 1822—1824. 4 voll. 8vo.

D. J. Larrey, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital de la Garde royale*) *Relation de l'expedition de l'armée d'Orient en Egypte et en Syrie*, Paris 1803. 8vo.

——— *Des amputations des membres à la suite des coups de feu*, Paris 1808. 8vo.

——— *Mémoires de Chirurgie militaire et campagnes*, Paris 1812--1817. 4 voll. 8vo.

——— *Recueil de Mémoires de Chirurgie*, Paris 1821. 8vo.

——— *Considérations sur la fièvre jaune* Paris 1822. 8vo.

J. Lisfranc, (*Professeur Agrégé de la Faculté de Paris*) *Quelques propositions de Pathologie*, Paris 1813. 4to.

——— et Champesme, *Mémoire sur l'amputation du bras, dans l'articulation de l'épaule*, Paris 1815, 8vo.

J.

J. Lisfranc, *Nouvelle méthode opératoire pour l'amputation du pied, dans l'articulation tarso-métatarsienne*, Paris 1815. 8vo. avec une planche.

——— *Mémoire sur de nouvelles applications du Stéthoscope*, Paris 1823. 8vo.

——— *Manuel des opérations chirurgicales, contenant plusieurs nouveaux procédés opératoires, en particulier ceux de* M. Lisfranc etc.; *par* J. Coster. 2. édit. Paris 1823. 18mo.

——— *Competitio ad Aggregationem* (!!). *An eadem contra varias urethrae coarctationis species medela?* Parisiis 1824. 4to.

——— *Des rétrécissemens de l'urètre*, Paris 1824. 8vo.

——— *Précis de la Médecine opératoire*, 2 voll. 8vo., avec un Atlas, Paris (*sous presse*).

Maingault (*donne des Cours particuliers*), *Médecine opératoire. Traité des amputations, qui se pratiquent sur le corps humain, représentées par des figures de grandeur naturelle, ayant en regard le manuel opératoire propre à chacune d'elles*, Paris 1822. gr. folio.

J. N. Marjolin, (*Chirurgien en second de l'hôtel-Dieu et Professeur de Pathologie externe*) *Propositions de Chirurgie et de Médecine*, Paris 1808. 4to.

——— *De l'opération de la hernie inguinale étranglée*, Paris 1812, 4to.

——— *Manuel d'Anatomie* etc., Paris 1810. 2 voll. 8vo. 2. édit. ibidem 1814.

P.

P. J. Pelletan, (*Professeur honoraire*) *Clinique Chirurgicale, ou Mémoires et observations de Chirurgie Clinique, et sur d'autres objets relatifs à l'art de guérir*, Paris 1810. 3 voll. 8vo. avec figur.

A. Richerand, (*Chirurgien en Chef de l'hôpital St. Louis et Professeur de Médecine Opératoire*) *Dissertation anatomico-chirurgicale sur les fractures du col du fémur*, Paris 1799. 8vo.

——————— *Nouveaux élémens de Physiologie*, Paris 1801. 8vo. 1802. 2 voll. 8vo; neuvième édit, Paris 1825. 2 voll. 8vo.

——————— *Nosographie Chirurgicale*, Paris 1803. 2 voll. 8vo; cinquième édition, sous le titre de: *Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales*, Paris 1821. 4 voll. 8vo. avec fig.

——————— *Maladies des Os, de* Boyer etc. vid. Boyer.

——————— *Des erreurs populaires, relatives à la Médecine*, Paris 1819. 8vo; 2de édit. ibidem 1812. 8vo.

——————— *De l'enseignement actuel de la Médecine et de la Chirurgie*, Paris 1816. 4to. (*sans date et sans nom d'auteur*).

——————— *Oeuvres complétes de* Bordeu, *précédées d'une Notice sur sa vie et sur ses ouvrages*, Paris 1818. 2 voll. 8vo.

——————— *Histoire d'une résection des côtes et de la pleure*, Paris 1818. 8vo.

——————— *Discours prononcé à la Séance publique de la Faculté de Médecine de Paris, le 7 Nov. 1820*, Paris 1820. 4to.

A-

A. Richerand, *Rapport sur les premiers travaux de la Section de Chirurgie de l'Académie royale de Médecine, lu à la Séance du* 15 Nov. 1821, Paris 1821. 4to. *Inseré aussi dans le Tome II. du Journal complémentaire du Dictionnaire des Sciences Médicales.*

——— *Histoire des progrés récens de la Chirurgie*, Paris 1825. 8vo.

P. J. Roux, (*Chirurgien en second de l'hôpital de la Charité et Professeur de Pathologie externe*) *Coup d'oeil physiologique sur les Sécrétions*, Paris 1803. 8vo.

——— *Mélanges de Chirurgie et de Physiologie*, Paris 1809. 8vo.

——— *De la resection, ou du rétranchement de portions d'os malades, soit dans les articulations, soit hors des articulations*, Paris 1812. 4to.

——— *Nouveaux élémens de Médecine Opératoire*, Paris 1813. 2 voll. 8vo.

——— *Traité des maladies des voies urinaires, par* Desault; *nouvelle édition par* Roux, Paris 1813. 8vo.

——— *Mémoires et observations sur la Réunion immédiate de la playe, après l'amputation des membres dans leur continuité* etc., Paris 1814. 8vo.

——— *Observation sur un strabisme divergent de l'oeil droit, guéri sur un sujet adulte, qui en etoit affecté depuis son enfance*, Paris 1814. 8vo.

P.

P. J. Roux, *Rélation chirurgicale d'un voyage fait à Londres en 1814, ou Parallèle de la Chirurgie anglaise avec la Chirurgie française, précédé de Considérations sur les hôpitaux de Londres*, Paris 1815. 8vo.

——— *Coup d'oeil sur la Fièvre jaune et sur diverses mesures sanitaires, auxquelles elle a donné lieu à Marseille, pendant les mois de Septembre et Octobre 1821*, Marseille 1821. 8vo.

——— *Mémoire sur la Staphyloraphie, ou Suture du voile du palais*, Paris 1825. 8vo. avec figur.

L. J. Sanson, (*pour l'Enseignement privé*) *Des moyens de parvenir à la vessie par le rectum, suivis d'un Mémoire sur la méthode d'extraire la pièrre de la vessie urinaire* etc., Paris 1821. 8vo. avec fig.

——— et Roche. *Nouveaux Elémens de Pathologie médico-chirurgicale*, Paris 8vo (*sous presse*).

A. L. M. Velpeau, (*aide d'Anatomie, qui donne des Cours particuliers*) *Traité d'Anatomie Chirurgicale, ou Anatomie des régions, considerée dans ses rapports avec la Chirurgie*, Paris 1825. 2 voll. 8vo avec 14 planches.

VII. *Nosocomiorum in Gallia ratio.*

Vera sunt, quae dixit *Hippocrates* (1): « Qui « enim Medicinae scientiam sibi vere et apte com- « pa-

(1) Vid. Hippocrates Lex, edit. et vers. Foesii Sect. I, (Francof. 1595), pag. 2.

« parare volet, is horum omnium compos esse de-
« bet, ut naturam nactus sit, doctrinam, locum
« studiis aptum, institutionem a puero, industriam
« et tempus." Praeter naturam itaque, qua ingenium non alacre quidem, sed minime hebes, significare voluit *Hippocrates*; praeter doctrinam, institutione a puero comparandam; praeter industriam, id est, praeter infinitam sedulitatem et invictum, cum magno Medicinae discendae et faciendae desiderio conjunctum, laborem; praeter tempus denique, ordine et constantia in Medicina discenda ponendum, locus requiritur studiis aptus. Inter haec studiorum auxilia, quae *Hippocrates* loco studiis apto complexus esse videtur, pleno jure certe referri merentur Bibliotheca publica et privata, Theatrum Anatomicum, Hortus Botanicus, Pharmacopolium Academicum, fasciarum, machinarum et instrumentorum, ad Chirurgiam pertinentium, Thesaurus, atque denique Nosocomia Clinica et Chirurgica, quae discentibus, Scientia aut Artis Theoria imbutis, Artem ipsam concilient.

De singulis his Medicinae discendae auxiliis, quae, in Academiae ornamentum et in discentium commodum, Lutetiae Parisiorum inveniuntur, plura diceremus, nisi nos retineret cogitatio, et illa, quod haec aliunde satis cognosci possint, et haec, quod plura eorum sint, quorum usus Chirurgum non faciat, sed ornet. Dicam igitur de praestantissimo Chirurgiae discendae auxilio, id est, *de Nosocomiorum, in Gallia, ratione.* In Gallia diximus, Lutetiam Parisiorum innuimus. Si enim de uni-

universae Galliae Nosocomiis vel verbulum tantum dicere vellemus, ultra limites nobis praescriptos et ultra finem, quem nobis proposuimus, longe progredi deberemus; Lutetiae itaque, sororum Academiarum nobilissimae, Nosocomia in exempli gratiam nobis sufficiant. Neque tamen de omnibus dicemus, quum de illis tantum, ut de Chirurgiae ratione constet, dicendum esse videatur, quae huicce discendae prae primis inserviunt, aut aegrotos, malis externis affectos, recipiunt.

Inter haec Nosocomia pleraque insigni splendent magnitudine et magnum continent aegrotantium numerum (1). Haec in primis ad operationes Chirurgicas quotidie videndas discipulis inservire solent. Alia minora sunt et tali aegrotorum numero et de-

(1) „Hic ingens quotidie aegrotantium confluxus morbos, quos„cumque volueris, seligendos demonstrandosque suppeditat. Prae„terea illud etiam commodi Medicinae studiosi nunc habent, quod, „ubi quamdam in Nosocomio Practico, penes aegros pauciores, „cognoscendorum curandorumque morborum facultatem sibi compa„rarint, amplior ipsis perficiendae artis campus aperiatur, atque ad „reliqua spatiosa variorum aegrotantium, quotidie huc affluentium, „cubilia perducantur, ut, quemadmodum novitii milites, levioribus „velitationibus exercitati, ad graviores conflictus praeparantur, ita et „hi, morborum ingenium in aegris paucioribus edocti, numerosiorem „diversimode aegrotantium copiam contemplando sese ulterius in„struant, sibique, dum praxin alienis quasi sumptibus exercent, judi„cium quoddam practicum, atque insignem in apte judicando promp„titudinem concilient, quibus dotibus comparandis, cuilibet fortuna„tam facere medicinam adlaboranti pernecessariis, sola librorum lec„titatio neutiquam par est." Sunt verba Cl. Maxim. Stoll (Rat. Medendi in Nosoc. Pract. Vindobonensi, Part. I. Praef. pag. IV.) Nosocomia, in quibus Haenius et Storckius, cum tanta laude, quondam docuerunt et praxin medicam professi sunt, describentis atque laudantis.

delectu instructa, qualis non cruentas quotidie requirit operationes, utilissima tamen, si aegrotos pauciores diligentius observare velimus (1). In singulis his Nosocomiis magna invenitur multiplici modo aegrotantium copia, quae certe, si omnium Nosocomiorum simul rationem habeas, tanta est, quantam, qui illam non vidit, vix cogitare possit. Atque hinc certe erit intelligendum, quare adeo magnus semper Lutetiae Parisiorum itineratorum, Praxeos et experientiae Chirurgicae fructus quaerentium, inveniatur numerus. Quemadmodum enim in foro, in quo merces venales extruduntur, eo major esse solet emtorum numerus, quo major sit mercatorum et mercium ipsarum frequentia, sic quoque Gallorum Lutetiam juniores Medici, cum eo potissimum consilio, proficiscuntur, ut magnam mirentur omne morborum genus exhibentium copiam, ut morbos rariores saepius videant atque dignoscant, et ut variam eorundem medicationem, eventu et ratione probatam aut impro-

(1) „Quodsi Nosocomia utilitatem in juniores Practicos habere „aliquam cupimus: non illa certe mihi seligam, quae majori aegrotantium numero replentur, et, nisi praesit humanitas Principis et in „cives amor, ad ostentationem magis, quam ad veram Reipublicae „salutem, aedificata videntur. Morbos in his aspiciunt magis, quam „observant Neomedici, obruuntur quasi rerum observandarum copiâ; „et tantum abest, ut, qui multos viderit aegrotos, melior sit Medicus, ut magis obsint potius hae divitiae nimiae, et ut tarda rerum ponderatio, et in pauciora objecta attentus animus, quoscumque artifices, qui necdum tantis adsueti sunt turbis, morborumque diversitatibus, reddant longe perfectiores." Vid. J. P. Frank, *De instituendo ad Praxin Medico*, in Delect. Opuscul. Vol. III. pag. 21.

probatam, possint videre; verissima enim sunt, quae dixit Horatius:

« Segnius irritant animos demissa per aurem,
« Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus."

Dolendum autem est, illam esse Nosocomiorum rationem, quae non permittat, ut in eorum pluribus morbos eodem tempore observare quis possit: quum enim tempus, quod, hyeme saltem, per excellentiam matutinum nominari meretur, aegrotorum visitationi impendi soleat, quumque in uno tantum loco, eodem tempore, praesentes esse possimus, vix plura Nosocomia, eodem die, in discentium usum inservire possunt. In universum etiam hoc culpandum videtur, quod Clarissimi et Expertissimi Viri, Nosocomiorum curam habentes, eadem magis in aegrotorum et Reipublicae, quam in discentium et Academiae, commodum adesse putantes, inepto tempore, nimis tacite et festinanter, aegrotorum in Nosocomiis curam gerant, et optimis diei horis, ad praxin privatam faciendam, utantur. Verum haec hactenus: verbis nostris fidem faciamus, et Nosocomia Parisina, quatenus argumentum nostrum spectant, breviter indicemus.

Hôtel-Dieu. Nosocomium hoc, medio fere seculo septimo, a St. Landryo, Episcopo Parisiensi, fundatum, antiquitate, majori suo ambitu et universa, qua nunc temporis (1) constitutum est, ratione, prae om-

(1) De meliori, quae recentiori tempore obtinuit, Nosocomii hu-

omnibus reliquis videtur excellere. Viginti tria quippe cubicula, quae mille trecentos lectos continent, duodecim millia utriusque sexus hominum quotannis solent recipere, unde confici poterit, quaenam quotidie sit videndi, comparandi et discendi occasio.

Si nimirum infantes juniores, homines mente turbatos, faeminas parturientes atque morbis venereis aut chronicis, qualis tinea, scabies etc., laborantes, excipias, cujusvis morborum generis in Nosocomio hoc cura haberi solet. Magnus semper adest, laesiones externas expertorum, aut, alia de causa, morbis externis et ad Chirurgiae forum pertinentibus, affectorum, hominum numerus, unde frequens etiam ad operationes leviores gravioresve faciendas occasio. Cl. *Dupuytrenus*, qui Nosocomii hujus Chirurgus primarius est, operationes quascumque faciendas non tantum ipse instituit et sic exemplo suo docet, verum etiam graviorum singulorum morborum historias accurate enarrat, easdemque longae suae experientiae fructibus uberius explicare atque illustrare conatur. Secundum ipsius *Dupuytreni* testimonium, in aegrotis, qui morbo externo decumbunt, mortalitatis ratio, si plures annos simul in computum ducas, aequalis est 1 ad 18, 19 aut 20.

Hôpital de la Pitié. Continet Nosocomium lectos sexcentos, et aegrotos potissimum admittit, qui in praecedenti Nosocomio aut in illo Venereorum lo-

jus conformatione videantur illa, quae Dupuytrenus ipse notavit in Opusculo, cujus titulus: Formulaire pratique des hôpitaux civils de Paris etc. par M. F. Ratier, Paris 1823. pag. XXIII seqq.

locum non invenerunt, aut inter convalescentes pertinent. Pars Nosocomii meretricibus, Syphilide affectis, concessa est, quippe quae, magistratus jussu, in Nosocomio hoc sanationem suam petere debeant. Antea praecedentis Nosocomii Medici atque Chirurgi hujus etiam curam habere solebant, nunc autem Cl. *Béclardus* ejusdem Chirurgus primarius est, dum Medicorum practicorum provincia Viris Doct. *Serres* et *Bally* mandata est.

Hôpital de la Charité. Continet hoc, quod anno 1607. Mariam de Medicis fundatricem habuit, Nosocomium lectos trecentos, quorum ducenti Viris et centum faeminis aegrotantibus sunt concessi: centum et quatuor autem lectuli aegrotis potissimum inserviunt, morbis, qui chirurgici nominari solent, affectis. Infantes autem, quindecim annorum aetatem nondum habentes, non admittuntur. Praxin Chirurgicam in Nosocomio exercent Viri Cll. *Boyer* et *Roux*, sanguinis affinitate arcte sibi conjuncti, et habili manus usu atque bene dicendi et scribendi facultate, parum sibi dissimiles.

Praeter Clinicen Anatome et operationum Chirurgicarum doctrina quotidie in Nosocomio hoc explicari solent, dum magnus cadaverum, nunquam non inveniendorum, numerus utriusque hujus Artis usui practico discipulis conciliando optime inservit.

Hôpital St. Antoine. Nosocomium hoc, quod, si situs et conformationis, quibus gaudet, rationem habeas, inter saluberrima referri meretur, ducentos et quinquaginta lectulos continet, utriusque sexus aegrotis, sive hi ad Medicinae, sive ad Chirurgiae forum pertineant, recipiendis inservientes.

Nosocomii Chirurgus est primarius Doct. *Beauchêne.*

Hôpital Necker. Nosocomium hoc, quod a matrona nobili, cujus potissimum sumptibus anno 1779 exstructum est, nomen suum nanciscebatur, centum et quadraginta lectulos continet, qui pro parte etiam in morbis externis decumbentium commodum adsunt.

Hôpital Cochin. Anno 1780, Venerando sacerdoti, cujus nomen habet, originem debuit, et centum lectos continet, qui in eundem usum, in quem illi Nosocomii praecedentis, adhiberi solent.

Hôpital Beaujon. Nosocomium centum quadraginta lectulis instructum est, quorum tamen triginta tantum, laesiones externas expertis, viris ac faeminis conceduntur. Anno 1784 Nosocomium hocce conditum est.

Maison de Santé. Nosocomii hujus, centum viginti quinque lectos continentis, et nullos aegrotos praeter eos, qui pecuniam solvere possunt, admittentis et propterea instructioni publicae non inservientis, mentionem tantum fecimus, quia aegrotorum in illo curam habet Cl. *Dubois*, Chirurgus expertissimus ac Celeberrimus.

Hôpital Saint Côme (de Perfectionnement). Sexaginta plerumque aut pauciores etiam aegrotos continet, quamvis centum et quinquaginta recipere possit. Nosocomium, quum studiosae juventutis commodis praeprimis inservire debeat, graviori morbo decumbentes aegrotos potissimum admittit. Operationes Chirurgicae difficillimae saepissime in illo instituuntur a Viris Clarissimis *Dubois* et *Béclard*, Chirurgis ejusdem primariis.

Hô-

Hôpital des Enfans Malades. Anno 1755 exstructum, quingentos quinquaginta lectos continet, quibus infantes, a tertio ad decimum sextum annum, recipiuntur. Septuaginta lectuli, quorum quadraginta pueris, triginta puellis inserviunt, in Chirurgiae commodum adsunt.

Nosocomia, singulis quibusdam morbis curandis inservientia.

Hôpital Saint-Louis. Nosocomium hoc, quod ab Henrico IVto anno millesimo sexcentesimo octavo exstructum est, mille et quinquaginta lectos continet, qui in morborum chronicorum gratiam adsunt, sive hi contagiosi sint, qualis scabies, tinea etc., sive morbi rebelles, quales Scorbutus, Scrophulae, Carcinomata, Ulcera inveterata e. s. p. Curam morborum Chirurgicam habent Viri Cll. *Richerand* et *J. Cloquet*, dum Cl. *Alibert* morbis cutaneis potissimum mederi solet, quamvis horum cura etiam a reliquis Viris Doctissimis *Biett*, *Manry* et *Lugol* institui soleat.

Hôpital des Vénériens. Nosocomii hujus, nonnisi Syphiliticis curandis inservientis, et sexcentos quinquaginta lectos continentis, Chirurgi primarii sunt uterque *Cullerierius*, patruus atque fratris filius. Uti in praecedenti aliisque Nosocomiis, in hoc etiam Polyclinice solet haberi.

Maison de Santé pour les maladies Syphilitiques. Nosocomium hoc, cujus cura iisdem Viris Doctissimis mandata est, viginti quinque cubicula majora et sex minora continet, dum sexaginta duos

aegrotos recipere potest. Hi autem solvere etiam debent, unde conficitur, Nosocomium usui Academico non inservire.

Nosocomia militaria.

Inter Nosocomia militaria, praecipua sunt N. Vallis Gratiae (hôpital du Val-de Grace) et Nosoc. Cohortis praetoriae (hôpital de la Garde royale). Nosocomia haec, si scopum, cui inserviunt, et curam, cui subsunt, excipias, vix a civilibus differunt: sufficiet itaque, si, ne penitus de his taceamus, de utroque principi hoc Nosocomio militari dixerimus.

Nosocomium Vallis Gratiae, quod olim coenobium fuisse dicitur, octo, munditie sua et magnitune splendentia, cubicula continet, quorum quodvis septuaginta quatuor aut pluribus spondis ligneis instructum est. Nonnulla praeterea adsunt cubicula minora et elegantius conformata, quibus militum duces, morbo decumbentes, utantur. In Nosocomio hoc, in quo ultra mille et trecentos recipi possunt, quingenti ad octingentos milites decumbere solent, ita ut ex militibus, qui Parisiis in praesidio sunt, decimus quintus aut vicesimus aegrotet. Unus, ut plurimum, e viginti aegrotis mori censetur, et nonnumquam, vel per plures menses, nonnisi quinquagesimus morti succumbit. Balneorum apparatus, si illum Nosocomii St. Ludovici excipias, omnium maximus est, dum non tantum balnea aquosa, verum etiam vaporosa et fumigatoria, in aegrotorum sanationem adhibentur: imo ipsa lintea, secundum methodum, a Doct. d'Arcet, com-

commendatam, vaporibus in Nosocomio lavantur. Principes hujus Nosocomii Chirurgi sunt *Barbier*, *Duvivier*, *Fleury* et *Devergie*. Quem ultimo loco nominavimus, Illustr. *Devergie* in Nosocomio hoc, tribus abhinc annis, Museum Anatomico-pathologicum colligere incepit, quod plura jam continet majoris momenti specimina.

Nosocomium cohortis praetoriae (hôpital de la garde royale). Quingentos aut plures aegrotos continere solet, quibus, interno morbo decumbentibus, cubicula sex concessa sunt amplissima, triginta octo lectulis singula instructa. Militum duces in pecuILiaribus cubiculis decumbunt, quemadmodum etiam omnes, qui morbis externis, ad Chirurgiae forum pertinentibus, aegrotant, a reliquis aegrotis separati sunt. Quod ad morborum frequentiae et mortalitatis rationem attinet, quadragesimus quartus e cohorte praetoria aegrotare, et vicesimus secundus aut quintus mori censetur. Primarii in Nosocomio Chirurgi sunt *L. Bar. a Larrey* atque *Poircon*, qui uterque Vir Illustrissimus magnam habuit vulnerum, gladio, ense et sclopetis inflictorum, experientiam.

Reliquorum Nosocomiorum militarium nomina sunt: Succursale de l'hôpital du Val-de-Grace, Hôpital royal des Militaires invalides, et Succursale *d'Avignon*.

Atque sic breviter illa enumeravimus Nosocomia, quae externis morbis aegrotantes recipiunt, atque Chirurgiae discendae inservire possunt: reliqua verum, utpote quae huc non faciant, mittere nunc debemus. Eorundem nomina autem sunt, Hospice de l'accouchement ou de la Maternité; Hospice de

 l'Al-

l'Allaitement, ou des Enfans trouvés; Hospice des Orphelins; Hospice de Salpêtrière; Hospice de Bicêtre; Hospice des Ménages; Maison de retraite à Montrouge; Institution de Sainte-Perine; Asile Royal de la Providence; Hospice des Incurables-Hommes; Hospice des Incurables-Femmes; Hospice des Quinze-vingts; Hospice des Insensés.

J. Hunczowsky, *Medicinisch-Chirurgische Beobachtungen auf seinen Reisen durch England und Frankreich, besonders über die Spitäler*, Wien 1783. gr. 8. pag. 75 seqq.

Essai sur l'histoire medico-topographique de Paris, ou lettres à Mr. Daumont *par* Mr. Menuret de Chambaud, Paris 1785.

J. R. Tenon, *Mémoires sur les hôpitaux de Paris*, Paris 1788. 4to.

J. G. Krünitz, *Oekonom. Technologische Encyclopaedie* etc. Th. XLVII, Berlin 1789. 8vo. pag. 323 seqq.

J. Howard, *Etat des prisons, des hôpitaux et des maisons de force; trad. de l'anglais*, Paris 1788—1791. 2 voll. 8vo. avec fig.

——— *Nachrichten von den vorzüglichsten Kranken und Pesthäusern in Europa;* etc. *aus dem Englischen, mit Zusätze des Herausgebers* (C. F. Ludwig), Leipz. 1791. 8vo. mit Kpfr. und Tabell.

J. C. G. Schäffer, *Briefe auf einer Reise durch Frankreich, England, Holland und Italien,*

in den Jahren 1787 und 1788 geschrieben, Regensburg 1794. 2 Bde. 8vo.

Camus, *Rapport sur les hôpitaux de Paris*, Paris 1803.

J. Frank, *Reise nach Paris, London* etc. *in Beziehung auf Spitäler, Versorgungshäuser, Armen-Institute, medicinische Lehranstalten und Gefängnisse*, Wien 1804. Neue Aufl. ibid. 1816. 2 voll.

M. Friedländer, *Entwurf einer Geschichte der Kranken- und Armen-Anstalten, nebst einer Nachricht von dem jetzigen Zustande der Pariser Armen-Anstalten und Hospitäler*, Leipz. 1804.

K. A. Rudolphi, *Bemerkungen aus dem Gebiet der Naturgeschichte, Medicin und Thierarzneykunde, auf einer Reise durch einen Theil von Deutschland, Holland und Frankreich, gesammelt.* Iter Th., Berlin 1804, pag. 261 seqq.

(Péligot), *Comtpes généraux des Hôpitaux, Hospices civils, Enfans abandonnés, Secours à domicile* etc. *de la ville de Paris*, Paris 1805. 4to.

A. F. Schweigger, *Ueber Kranken- und Armen-Anstalten zu Paris, herausgegeben mit Zusätze und einem Anhang über die französische Feldhospitäler, von* J. G. Langermann, Baireuth 1809. 8vo.

C. M. Andrée, *Neuester Zustand der vorzüglichsten Spitäler und Armen-Anstalten, in einigen Hauptorten des Inn-und Auslandes*, Leipz. 1810 et 11. 2 Th. 8vo.

Percy et Villaume, *Mémoire sur les Etablisse-*

semens en faveur des Indigens, des Enfans abandonnés, des Malades et des Militaires blessés, Paris 1813. 8vo.

A. Haindorf, *Beyträge zur Culturgeschichte der Medizin und Chirurgie Frankreichs, und vorzüglich seiner Hauptstadt, mit einer Uebersicht ihrer sämmtlichen Hospitäler und Armenanstalten* etc., Göttingen 1815. 8vo.

John Cros, *Sketches of the medical Schools of Paris, including Remarks on the hospital Practice, the Lectures, the anatomical Schools and Museums, and exhibiting the actual State of Medical Instruction in the french Metropolis*, London 1815. 8vo.

——— *Paris et Montpellier, ou Tableau de la Médecine dans ces deux écoles; trad. de l'angl. par* Elie Revel (Pichot et de Salle), Paris 1820. 8vo.

Rapport fait au Conseil général des Hospices, par un de ses membres, sur l'état des hôpitaux, des hospices et des secours à domicile à Paris, depuis le 1 Janv. 1804. — 1 Janv. 1814. Paris 1816. 4to.

Dictionnaire des Sciences Médicales etc. in voce *hôpital*, Tom. XXI. Paris 1817, pag. 367 seqq. pag. 485 seqq., pag. 539 seqq.

Annuaire de la Société philanthropique, contenant l'indication des meilleurs moyens, qui existent à Paris, de soulager l'humanité souffrante et d'exercer utilement la bienfaisance, Paris 1819.

Carter, *A short Account of some of the prin-*

cipal Hospitals of France, Italy, Switzerland and the Netherlands, London 1819.

James Clarke, *Medical Notes on Climates, Diseases, Hospitals and medical Schools, in France, Italy and Switzerland* etc., London 1820.

J. K. Weisse, *Paris und London für den Arzt, besonders in Rücksicht der öffentlichen Kranken-und Verpflegungs-Anstalten geschildert.* Ites Bdchen, Paris; mit 1 Kpfr., Halle 1821. 8vo.

J. L. Casper, *Characteristik der französischen Medicin, mit vergleichenden Hinblicken auf die englische*, Leipz. 1822. 8vo. pag. 51 seqq.

M. F. Ratier, *Formulaire pratique des hôpitaux civils de Paris*, Paris 1823. 12mo, pag. XIX seqq. Considérations générales sur les hôpitaux.

Administration des hôpitaux, hospices civils, secours à domicile, direction des nourrices de la ville de Paris, et enfans trouvés du département de la Seine. Compte sommaire de l'exercice de 1822 au 31 Mars 1823, Paris 4to.

Almanach Médical, pour l'année 1824 etc., Paris 8vo. pag. 44 seqq.

J. H. Schultes, *Dissert. inauguralis de Nosocomiis quibusdam Belgicis, Britannicis et Gallicis*, Landishuti Bavarorum 1825. 4to.

E. Otto, *Reise durch die Schweiz, Italien, Frankreich, Grossbritannien und Holland, mit besonderer Rücksicht auf Spitäler, Heilmethoden und den übrigen medicinischen Zustand dieser Länder.* Iter Th. mit 1 Kpfr. Hamburg 1825. 8vo.

VIII.

VIII. *Bella, quae ad experientiam practicam Chirurgis conciliandam fecerunt.*

Inter causas, e quibus explicanda videntur Chirurgiae in Gallia, recentioribus temporibus, incrementa, jure referri merentur bella illa continua, quae, ultimo praecedentis et primo hujus seculi decennio, a Gallorum Imperatore gesta, per universam fere Europam, sanguinem humanum fuderunt et funestos suos effectus exhibuerunt. Eadem autem bella, fieri non potuit, quin multum tribuerint ad ipsam Chirurgiae praxin perficiendam, et ad majorem Chirurgis ipsis cognitionem et in secando habilitatem conciliandam. Bellis enim his sanguinolentis, quorum sola cogitatio vel nunc animos nostros solet terrere, magna quotidie fere Chirurgis, castra et arma sequentibus, praebebatur occasio, cum ad vulnera sclopetaria observanda, tum ad variarum methodorum, in horum curationem propositarum, dignitatem aestimandam et ponderandam. A tempore enim, quo *Bilguerius*, *Frederici Magni*, Borussiae Regis, exercitum secutus, membrorum, quae sclopetorum et pulveris pyrii efficacia contusionem et fracturam experta erant, amputationem improbaverat et quasi proscripserat (1), per plures annos Gallorum Chirurgi primarii, ad annum praecedentis seculi quinquagesimum sextum usque, de hoc argu-

(1) De membrorum amputatione rarissime administranda, aut quasi abroganda.

gumento disputarunt, et de quaestionis, ab Academiae Chirurgicae sociis propositae, solutione, quae anno illo praemio ornata est, pro parte tantum fuerunt contenti.

Bella autem, recentiori tempore, per viginti annos gesta, huicce disputationi finem imposuerunt atque docuerunt, quaenam conditiones sint, quae membrorum amputationem, quaenam, quae partium molliorum dilatationem et corporum, in vulnere relictorum, solutionem atque extractionem requirant. Quae de vulneribus et fracturis sclopetariis diximus, eadem ad continui solutiones, gladio vel ense factas, possunt referri, quippe quae, bellorum quoque auxilio, nova luce sint illustratae et, faciliorem plerumque ab arte curam institui posse, docuerint. Nulla autem Chirurgiae pars magis forte in bellis profecit, quam illa, quae in vulnerum, capiti, thoraci et abdomini inflictorum illaque penetrantium, exploratione, diagnosi atque sanatione versatur. Non mirandum itaque est, bella hoc sensu non parum Chirurgiae profuisse.

Hactenus dictis addantur commoda illa, quae Chirurgi militares ex ipsa extra patriam suam peregrinatione perceperunt. Nonne erronea illa, quae de plica Polonica solebant narrari, ab eo inde tempore disparuerunt, quo Chirurgis, Gallorum exercitum secutis, Polonorum vivendi rationem videre, et morbum ipsum saepius observare, illiusque naturam et causam indagare atque invenire, licuit (1)?

IX.

(1) Conf. Briot, Histoire de l'état et des progrès de la Chirurgie

IX. *Principum, quo Chirurgia in Gallia gloriari potuit, favor.*

Quos Reges et Principes artibus ac scientiis tribuunt, honores, ac patrocinium, multum, et vel plurimum, facere ad easdem excolendas ac perficiendas, omnium temporum et quarumvis doctrinarum historia docet. Notum est v. c., ut uno iterum exemplo, ex Artis historia desumto, haec illustremus, quosnam sub *Juliano* imperatore, tempore caeterum, quo antiqua Graecorum praestantia jam adeo erat imminuta et fere deperdita, progressus egregios Medicina experta sit, et quibusnam honoribus, dignitate et amicitia *Oribasium* dignum judicaverit ipse *Julianus*, egregius doctrinae ac Scientiarum fautor. Quod si igitur verum sit, uti est verissimum, inter temporum rationes, quae artium et disciplinarum progressui vel faveant vel obstent, in primis referri debere ipsorum Principum patrocinium, non mirum potest videri, quod favores atque honores, quos Chirurgia, recentiori tempore, in Galliâ ab iisdem experta est, magna huic incrementa et majorem dignitatem conciliaverint. Si enim historiae testimonium audiamus, ab eadem docemur, *Ludovicum decimum quintum* a Cl. *La Peyronie* Anatomes principia didicisse, atque illa ita oblectatum fuisse, ut Chirurgiam ipsam amare inciperet (2). Si quis autem recentius quoddam velit exem-

gie militaire en France, pendant les guerres de la révolution; ouvrage couronné par la Société médicale de Paris, Besançon 1817. 8vo. Cujus Commentationis titulum tantum cognosco.

(2) Vid. Cuvier, Eloges historiques, Tom. II. pag. 277.

exemplum, ad *Napoleontem* provocare liceat, quem summopere Chirurgiam dilexisse constat, quippe cujus utilitatem in pluribus proeliis esset expertus (1). Quapropter facile intelligitur, Chirurgiam sub ejus imperio magnos admodum fecisse progressus, Medicinam autem, cui parum fidere et quam vel detestare solebat, horum incrementorum minus fuisse participem (2).

X. *Qui Chirurgis in Gallia a populo tribui solent, honores.*

Quum magnos nunquam Medicina in Gallia fecerit progressus, hosce impedientibus insigni Theoriarum, diversis temporibus, variatione, empirica agendi ratione, et plurium remediorum, quae Medicis erat, praedilectione, facile cogitari potest, Gallos demum ipsos Medicinam suam non magni fecisse, atque parum auctoritatis et efficaciae illi tribuisse. Chirurgiae contra fructus, qui continuo evidentiores erant, magis magisque elucebant atque majoris a populo aestimabantur, quapropter Chirurgis etiam ipsis majores tribuebantur honores. Chirurgi quippe in Gallia, nostris saltem temporibus,

(1) Vidd. Mémorial de Sainte-Helène par le Comte de Las Casas, Tom. II. pag. 348 seqq. Mémoires du Dr. F. Antommarchi, ou les derniers momens de Napoleon, Tom. I, Paris 1825.

(2) Vidd. auctores laudati. Idem testantur sequentia Napoleontis verba: „Ah qu'cst ce que la Médecine? Ce n'est pas un Art; „c'est une histoire! Je demande à mon voisin: qu'est ce que vous „avez fait dans la même maladie? Il me le dit, je fais le même, „et voilà tout!" Vidd. Vaderl. Letteroeff. voor September 1826. Mengelwerk, pag. 523.

bus, ad barbitonsorum munus nunquam adhiberi solent, cui in aliis regionibus nimis eheu inservire debent. Chirurgi contra, inter Gallos artem suam exercentes, eadem dignitate, qua Medici, fruuntur, atque iisdem honoribus utuntur, dum magnum illum cognominum numerum, quae raro in laudem verti merentur, penitus ignorant. Quid quod in Gallia, qui manu sanat, omnium consensu sit Medicus, χειροτεχνίτης ὁμολογουμένως ὁ ἰητρὸς.

Praeter alia artis auxilia, antea jam indicata, Itinera literaria, Diaria Chirurgica etc., huc referantur etiam artis pictoriae et Chalcographiae progressus, quibus perfectiorem addas Lithographiae rationem. Hujus quippe auxilio illa, quae antea non nisi e Tabulis pretiosissimis cognosci poterant, facillime et levi pretio picta haberi possunt. Quosnam haec Ars in Gallia fecerit progressus, *Cloqueti* (1) et *Antommarchii* (2) Tabulae Anatomicae, et *Maingaulti* (3) Chirurgicae Tabulae monstrent, quas utique non sine voluptate inspicere quis poterit.

(1) Jules Cloquet, Anatomie de l'homme, ou Description et Figures lithographiées de toutes les parties du corps humain, Paris 1821 — 25.

(2) Planches anatomiques du corps humain, executées d'après les dimensions naturelles, publiées par M. de Lasteyrie. Paris 1823 seqq.

(3) Maingault, Médecine Opératoire, ou Traité des amputations, qui se pratiquent sur le corps humain, représ. par des figures de grandeur naturelle et lithographiées, ayant en regard le manuel opératoire propre à chacune d'elles, Paris 1822. gr. fol.

OBSERVATIONUM CHIRURGICARUM SYLLOGE.

CAPUT PRIMUM.

CONTINENS OBSERVATIONES DE MORBIS QUIBUSDAM, E CAUSA MECHANICA POTISSIMUM ORIUNDIS.

DE CAPITIS VULNERIBUS.

Quum de capitis contusionibus, de ipsius calvariae fracturis, nec non de cerebri commotione, quae saepius eas insequitur, postea data opera dicturi simus, hoc loco in universum tantum de capitis vulneribus, strictiori sensu dictis, pauca in medium afferre liceat, ut ex hisce intelligantur ea, quae Galliae, vulnerum horum ratione habita, peculiaria esse videntur. Universa de capitis vulneribus doctrina, quae digna sane foret, in quam accuratius inquireremus, tantis in hunc usque diem pressa est difficultatibus, tot habet obscura et dubia, ut, nisi variis theoriis et hypothesibus indulgeamus, plurima nos nescire et pauca tantummodo

paulo accuratius nobis cognita esse, ingenue fateri debeamus. Quamvis enim, quemadmodum in Germania *Bilguerius*, *Schmuckerus*, *Thedenius*, *Mursinna*, *Richterus*, *Rustius*, *Waltherus* aliique doctrinam hanc illustrarunt, in Gallia etiam, ab *Ambrosii Paraei* tempore in hunc usque diem, magna Chirurgorum plurium de hoc Capite fuerint merita, multum tamen abest, quod phaenomena singula, capitis vulneribus saepe sociata, cognita satis sint ac dilucide explicata. Spes autem nobis affulget, fore, ut haec etiam phaenomena multiplici experientia, frequenti cadaverum sectione et cauto ac justo ratiocinio, nova luce collustrentur et accuratius cognoscantur. Nuperrime quippe Societas Medica Parisiensis quaestionem proposuit, in cujus solutionem singulorum postulatur effectuum enumeratio, quos cerebrum, morbo affectum, in reliqua organa, et haec vicissim, si in statu morboso versantur, in cerebrum habere videntur. Cujus quaestionis utique solutio de capitis vulneribus doctrinam illustrare etiam poterit.

Capitis autem vulnera in universum in Gallia frequentiora, quam in aliis regionibus, esse videntur, quod forte Spiritus vini, qui continuo magis magisque obtinet, abusui hujusque sequelis imputandum erit. Lutetiae Parisiorum itaque, cum propter hanc rationem, tum propter magnum incolarum numerum, frequens est capitis vulnera observandi occasio.

Gallorum de his vulneribus Theoria cum illa Nostratium aliorumque populorum convenire videtur, quamvis a nobis non adeo periculosa, quam ab

ab illis, capitis vulnera haberi soleant. Sive enim climatis calidioris efficaciae, sive victui parciori vegetabili, sive aliis demum causis, phaenomenon hoc tribui debeat, illud experientia docuisse videtur, capitis vulnera in Gallia majus periculum habere et saepius lethifera esse solere. Fieri autem potest, ut sententia haec e Nosocomii, a Deo nomen habentis, ratione, qualis antiquitus obtinuit, pro parte etiam explicari debeat. Notum nimirum est plerosque id generis aegrotos in hoc Nosocomio recipi, illosque, *Desaltii* tempore, saepius fuisse mortuos. Cujus rei causarum brevem explicationem hisce adjungere liceat.

Pluribus, illo tempore, aedificiis Nosocomium circumdantibus, non sufficiens obtinebat aëris renovatio, ad quod incommodum justo major accedebat aegrotantium, in eodem cubiculo decumbentium, numerus, ita ut miasmata putrida aërem saepius inficerent, atque Gangraenam Nosocomialem, febres adynamicas, aliosque his similes morbos, producerent (1). Recentiori autem tempore, mi-

(1) „Qui compluribus diebus aërem calentem et non perflatum „hauriunt, ventriculo gravantur, minus appetunt, ac ore amaro „sunt, et febrire incipiunt. His ita aegrotantibus, praemisso sol„vente et antibilioso potu, multam bilis amurcam, et magno cum le„vamine, excussimus. Ejus rei exempla complura in iis vidimus, „qui, tempore aestivo, ex morbo quodam chirurgico, decubuere „in angustioribus cubiculis atque una cum aliis. Supervenientes id „genus febres gastricae morbos ipsos chirurgicos, vulnera, ulcera etc, „effecere repente et multo pejores. Imminentem non raro in parte „laesa, Gangraenam cura antibiliosa repressimus, et, ne sanati denuo „relapsum paterentur, aëre lustrato, et stomachicis remediis ven„triculo cavimus. Hanc febrim, quae vulneratis, ulceratis, aut alio „chi-

minori aegrotorum numero in idem cubiculum admisso, valetudinariis, quae insalubria videbantur, non in usum vocatis, fenestris majoribus, et ad minorem a fundo distantiam, factis, ipsorum aegrotorum, qui admittuntur, delectu instituto, aliisque pluribus adminiculis Nosocomium salubrius factum est. Non mirum itaque est, capitis vulnera, *Desaltii* et *Bichati* tempore, magis, quam quidem nunc, fuisse lethalia. Neque tamen credendum est, capitis vulnera omnis periculi esse expertia, quum quotidiana experientia doceat, in Gallia nunc etiam vulnera haec in mortem saepius terminari. Vidi saepius, et quaenam est regio, in qua hoc non observaretur, capitis vulnera leviora et cum nulla contusione sociata, vel ilico mortem intulisse, vel, ab omni parte jam sanata, secundariam organorum nobiliorum inflammationem produxisse et sic mortem ipsam aegrotis conciliasse. A partibus itaque externis in organa interiora stimuli morbosi effectus transire, vel etiam materiae ipsius migratio locum habere potest. Pro vario enim inflammationis, qui adfuit, gradu, serum sanguineum, lympha congulabilis, vel materia purulenta, intra calvariam invenitur, atque vel inter ossa et duram matrem, vel inter hanc atque arachnoïdeam, ad-

„ chirurgico morbo affectis, atque in Nosocomio diutius conclusis, in„ sidiabatur, *Nosocomialem* appellabamus, etsi reapse a febre gastri„ ca, biliosa, putrida, ne hilum differret, seu notas utrique commu„ nes, seu methodum medendi spectes." Vid. M. Stoll, Ration. „ Medend. in Nosocom. practic. Vindobon. Part. II. edit. Lugd. Bat. 1786. pag. 139. Haec solertissimi Naturae interpretis verba non inepte certe in argumentum nostrum trauferri poterunt.

adest, vel ipsam etiam cerebri substantiam aggressa est (1). Alii secundariam hanc cerebri affectionem, quae modo acutae, modo exsudativae inflammationis forma apparet, e vasorum, in interna et externa calvariae superficie decurrentium, anastomosi explicant, quae tamen sententia per hypotheses melius probari, quam ad oculum demonstrari potest.

Frequentissimam mortis, capitis vulnera insequentis, causam hepatis abcessus constituunt, qui, aliorum organorum affectionibus frequentius, ex illis, subdole potissimum, oriuntur et mortem aegroti comitem solent habere. Nexum hunc, qui, in statu morboso, caput inter et hepar locum habet, vario modo auctores explicare conati sunt. Gallorum de hoc argumento sententias, non incongruum videtur, breviter saltem hoc loco indicasse, quum rationalis Chirurgi sit, in phaenomenorum, quae in statu morboso observat, causam et conditiones inquirere.

Ambrosius Paraeus, in observanda Natura diligens auctor, phaenomeni hujus rationem e sanguinis in cor et hepar impulsu, illi, qui post terrorem et metum obtinet, analogo, haud adeo inepte explicasse videtur (2).

Joannes Ambrosius Maria Bertrandius (cujus, quam-

(1) Conf. meretur Cl. Jac. Corn. Broers, Dissert. de Causis, cur laesionibus Capitis, quae initio haud periculosae videbantur, frequenter sero symptomata gravia, in mortem aliquando desinentia, accedant, Traj. ad Rhenum 1819.

(2) Vid. l. l. Livr. X. Chap. 12.

quamvis Itali, sententiam recensemus, quia eandem in Gallia degens professus est et in Actis Parisinis publici juris fecit) horum hepatis abcessuum originem sequenti fere modo explicavit. In quacumque graviori cerebri commotione, sanguis majori impetu versus cerebrum movetur, et hinc majori copia, vel nimium praeceps, per venas jugulares et per venam cavam superiorem, ad cor iterum propellitur, atque sic, per venam cavam inferiorem adscendenti, sanguini vim facit, i. e. ejusdem motum remorat atque ideo stasim promovet, « ex qua inflammatio tandem contingat, in Gan« graenam aut abcessum, qui certe frequentior est, « terminatura" (1). Hanc *Bertrandii* theoriam, praeter alios, refutavit *Claudius Pouteavius*, quem tamen Chirurgum Lugdunensem Celeberrimum, plane contrariam sententiam profitendo, id est, secundarios illos hepatis abcessus, e sanguinis in arteria hepatica et vena portarum congestione, explicando, minus mechanicam quidem, neque tamen satis evidentem theoriam proposuisse, censerem (2). Probabilior saltem, uti hoc ipse jam praesensisse videtur *Pouteavius*, sententia est *Petri Josephi Desaltii* (3), statuentis, inter cerebrum

(1) Vid. Bertrandi, De hepatis abscessibus, qui vulneribus capitis superveniunt; dans les Mémoires de l'Académ. de Chirurgie, Tom. III. pag. 485 seqq. Observations sur le même sujet, par M. Andouillé; Ibid. pag. 506 seqq.

(2) Vidd. Oeuvres posthumes de M. Pouteau, Paris 1783! Vol. II. pag. 129 seq.

(3) Oeuvres Chirurgicales, Tom. II. pag. 59 seqq.

brum atque hepar nexum esse majorem, quam inter reliqua organa, hinc illius affectiones hujus functiones semper fere turbare et varia in hoc vitia producere organica; caeterum autem nexum illum manifestum quidem, sed incognitum esse. Inter recentiores auctores, in hoc argumento explicando in primis versatus est Cl. *Richerandus* (1), qui hepaticos illos abcessus, non e secundaria et sympathica hujus organi affectione, sed ex ipsius hepatis commotione, quam, propter eiusdem volumen, pondus, structuram parenchymatosam et cum vicinis partibus nexum, facillime simul cum capitis vulneribus obtinere censet, explicare conatus est, cujusque sententiam plures non tantum amplexi, sed novis observationibus etiam firmare conati sunt. Dubitarem autem, num, qui post capitis vulnera oriuntur, hepatis abcessus primarii semper nominari, et facile adeo, aut in quacumque conditione, formari possint (2).

Integumentorum cranii communium laesiones itaque, sive contusiones sint, sive vulnera, sive denique haec cum illis conjuncta, nunquam parvi aes-

(1) Vid. Richerand, Sur les abcès du foie, qui accompagnent les plaies de tête; dans le Journal de Médecine, par MM. Corvisart, Leroux et Boyer. Frimaire an. XIII. Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales etc. 5me édit. Tom. III., Paris 1821. pag. 68 seqq.

(2) Dignae sunt, quae de his legantur, Observationes Cl. N. Ansiaux, in Clinique Chirurgicale etc., Liège 1816. pag. 35 seqq. Conf. praecipue J. Bricheteau; Quelques Connsidérations de Physiologie pathologique sur les rapports particuliers et réciproques, qui existent entre le cerveau et le foie; dans le Journal Complém. du Dict. des Sc. Médic. Cahier 27. Sept. 1820. Tom. VII. pag. 224 — 240.

aestimandae sunt, sed cum magnis cautelis a Chirurgo examinari debent, in primis si latentis alicujus laesionis suspicio subsit. Non enim ex ambitu vulneris, sed e sollicita, digitorum et specilli auxilio, ejusdem perlustratione, de laesionis periculo aliquomodo judicium ferri potest, ad quod confirmandum corporis laedentis examen necessario debet accedere, dum postea hepatis reliquorumque organorum ratio habenda est.

Praeter hepatis affectiones enim, saepius etiam aliorum, inter nobiliora referendorum, organorum inflammationes, capitis vulnera comitantes, Parisiis observare mihi licuit. Quemadmodum aegrotos, capitis vulnere decumbentes, Pleuritide, Peripneumonia similibusque morbis, in Nosocomio Cohortis praetoriae, Illustrissimi *Larreyi* curae commissos, et in aliis Nosocomiis Parisiensibus, plus semel exstinctos vidi, ita hoc potissimum in Nosocomio, a Deo nomen habente, observavi, cujus rei rationem cum *Dupuytreno* sequentibus conditionibus tribuendam censui. Nosocomium hoc, propter causas antea indicatas, *Desaltii* tempore, omnium insaluberrimum haberi solebat, dum vel solus lectorum et aegrotorum, in eodem cubiculo praesentium, numerus, et odor ingratus, quem cubicula spargebant, hujus rei testimonium exhibebant. Praeter majorem curam, quae nunc, cum in aegrotorum delectu et morbo contagioso decumbentium separatione, tum in medicamentorum, victus et regiminis ratione aliisque adhibetur, frequentissima institui solet aëris renovatio, quem in finem plures non raro cubiculorum fenestrae, ex opposito sibi

res-

respondentes, ne vel matutino et vespertino tempore excepto, aperiuntur. Continuus hic aëris fluxus, si Nosocomium super Sequanam exstructum cogites, quod, praeter morbos catarrhales et gastricos, organorum, respirationi inservientium, inflammationes saepissime producere debeat, nemini mirum videbitur. Per ipsas itaque, quae ad malignos morbos praecavendos instituuntur, cautelas, organorum nobiliorum inflammationes oriri videntur, quae in aegrotis, capitis aliarumque partium vulneribus decumbentibus, adeo frequentes esse solent; ita ut, Charybdin vitantes, in Scyllam incidere debere videamur. Morborum itaque miasmaticorum et malignorum, febrium adynamicarum et putridarum, Gangraenae demum Nosocomialis, antea non infrequentium, locum Pleuritis, Peripneumonia, Enteritis, Peritonitis aliique id generis morbi nunc occupasse videntur, dum Corticis Peruviani, excitantium et stimulantium loco, nunc diluentia et antiphlogistica in usum internum quotidie fere requiruntur. Inflammationum autem illarum in aegrotis, haec aliaque vulnera expertis, frequentiam ipsum, quod jam per plures annos institutum est, cadaverum examen abunde probavit, ita ut hinc maximum, *Dupuytreno* monente, *Desaltii* sententiae accedat momentum, statuentis, aegrotorum, tempore, quo propter vulnera aliumve morbum externum Medici curae mandati sunt, morientium, plurimos inflammationibus internis succumbere, plures saepe partes simul occupantibus.

Inter gravissima capitis vulnera, quae Parisiis vidi-

dimus, ea juvenis referri merentur, cujus tempora, per vini lagenam, magna cum vi in illa impulsam, vulnus maximum erant experta. Contra largam, quae statim oriebatur, haemorrhagiam, quam altera, post aliquod tempus, cum animi deliquio insequebatur, vasorum compressio a Chirurgo frustra erat instituta: aegroto in Nosocomium translato, ferrum candens a *Dupuytreno* ad ipsa vasorum ostia hiantia admovebatur. Num arteria temporalis dissecta etiam fuerit, non notavi: memini tamen haemorrhagiam cauterio sisti potuisse atque aegrotum convaluisse.

In aegrotorum, in Nosocomiis Parisiensibus decumbentium, observatione occupatus, initio saepius miratus sum dubitationis speciem, qua Expertissimi Viri, aegrotorum in iisdem curam habentes, de capitis vulnerum diagnosi atque prognosi judicium suum ferunt. Quamvis verum sit, prognosin hanc dubiam fere semper esse debere, mox tamen rationem percipere coepi, quae Nosocomiorum Chirurgos in Gallia ad hanc dubiam diagnosin et prognosin cogere videtur. Saepius nimirum in Nosocomia ab hominibus, quos haud norunt, deferuntur aegroti, narium aliarumque partium vulneribus aut contusionibus deformati, praeter difficilem motum, pandiculationem et loquendi difficultatem, signa, e quibus cerebri commotionem conficeres, exhibentes. Venae sectio instituitur, balnea pedum et Clysmata administrantur. Quid autem die sequenti? Omnia symptomata disparuerunt, et patet ebrietatem omnium turbarum causam fuisse. Quum autem Parisiis inferiorum gentium ho-

homines vino et spirituosis adeo indulgere et iisdem sese replere fere soleant, facile conficitur, diagnosin in tali casu, sine morbi anamnesi, difficilem esse debere; atque hanc conditionem ipsam, majori inflammatione facile ex illa oriunda, prognosin difficilem et dubiam facere.

Quod ad sanandi methodum attinet, nulla sunt, quae Nosocomiis Parisiensibus, prae aliis, peculiaria dicere possis, nisi majorem velis hirudinum, levi pretio parandarum, numerum, quo, praeter Venae Sectiones, utuntur. Quod quaestionem spectat, num capitis vulnera per primam, an vero per secundam, Naturae intentionem sanari debeant, de his, ut facile intelligitur, nulla, semper sibi constantia, Chirurgis Parisiensibus praecepta et consilia esse possunt, quum haec a plurimis conditionibus, et vulnera et singulos aegrotos spectantibus, necessario pendere debeant.

In Fasciarum et Emplastrorum usu multo parciores sunt, quam antea esse solebant, quod, ne ad solum temporis genium provocemus, in Gallia potissimum computandum est a tempore, quo praemio ornatae Commentationes de Unguentorum et Emplastrorum abusu in Actis Chirurgicis Parisiensibus prodierunt (1). Fomentationum autem frigidarum, Venae Sectionum et hirudinum usus, quorum salutares, in capitis laesionibus, effectus omnium Chirurgorum fere scripta praeconio celebrant

(1) Vidd. Prix de l'Academie royale de Chirurgie. Tom. IV. Part. II. Paris 1778. pag. 636 seqq.

brant (1), in Nosocomiis Parisiensibus, aeque frequens certe nunc est, quam unquam in Gallia fuit, aut in aliis regionibus instituitur. Forte autem universalis atque localis methodus haec antiphlogistica, Parisiis, nostris temporibus, frequentius etiam adhibetur, propter magnum fautorum numerum, quos Broussaissiana doctrina habet.

DE VULNERIBUS IN THORACIS CAVUM PENETRANTIBUS.

Quum simplicia partium pectoris continentium vulnera nihil habeant, quo ab aliis integumentorum et musculorum vulneribus differant, nisi lentiorem velis, ex ipsa Thoracis conformatione, perpetuo nimirum costarum motu, explicandam, consolidationem, eadem silentio praeterire poterimus, ut de pectoris vulneribus, quae penetrantia dici solent, paulo accuratius dicere possimus, quippe quae majorem attentionem mereantur et digna sint, in quorum doctrinam solertius inquiramus.

Vulnus vero in Thoracis cavitatem penetrasse conficitur ex aegroti, tempore, quo laedebatur, situ aut positu, ex instrumenti laedentis habitu, e vulneris magnitudine, ex ejusdem directione, ad cos-

(1) Prae aliis hoc mihi probare videntur observationes Cl. Schumacher, Professoris Hafniensis, qui ducentorum et septendecim aegrotorum, quatuor mensium tempore, curam habuit, et inter hos viginti septem tantum morte exstinctos vidit. Vidd. C. F. Schumacher's Medicinisch-Chirurgische Bemerkungen, I Bd., Koppenhagen 1800. 8vo.

costas aut trunci axin parallela, instrumenti exploratorii (1) usu, aut digiti indicis cauta exploratione, atque denique e symptomatibus, laesionem factam mox insequentibus: quae autem symptomata omnia fallere possunt, quum solum eorundem signum pathognomonicum in eo sit, quod organa, pectoris cavitate contenta, visui sese exhibeant.

Quum autem vulnera haec vel sine, vel cum, laesione partium, pectoris cavo contentarum, atque praeterea, vel cum sanguinis aliorumque fluidorum effusione, vel absque ea, obtinere possint, de singulis his pauca dicenda sunt. Vulnere pectoris cavitatem penetrante, cor laedi potest, quo laesionem experto, symptomata nervosa semper fere observantur. Si tota cordis substantia ab instrumento penetratur, vulnus tale haemorrhagiam lethalem sibi insequentem solet habere: sin vero vulnus hoc instrumento tenuiori et minus lato factum sit, aut si cordis superficies tantum laesa sit, vita per viginti quatuor aut quadraginta octo horas, vel diutius etiam, subsistere potest.

Quum cordis vulnera non raro, morte necessaria terminari debere, i. e. absolute lethalia esse, dicantur, quumque haec sententia vel in Classico Opere nuper proposita legi potuerit (2), non incongruum videtur, ut in hoc argumentum verbulo inquiramus, atque Gallorum de eodem sententiam au-

(1) In pectoris vulneribus majoribus Chirurgi in Gallia specillum Celeb. Le Dran adhibere solent.

(2) C. J. M. Langenbeck, Nosologie und Therapie der Chirurgischen Krankheiten, in Verbindung mit der Beschreibung der Chirurgischen Operationen etc. mit Kpfr. IIIter Bd., Göttingen 1825. 8vo.

audiamus: haec enim quamvis magis ad Medicinam forensem et legalem, quam quidem ad Chirurgiam, pertinere videantur, si non alia, egregiam certe nos docere poterunt Naturae solertiam in damnis reparandis, vel nobilissimae cuidam corporis parti illatis. Quaeritur itaque, num cordis vulnera subita mors semper insequi debeat? Si non, an exempla inveniantur, quibus pateat, homines, corde vulnerato, in vita fuisse superstites? Praeter observationes, quas de cordis vulneribus, subita morte non superveniente, notarunt *Ambrosius Paraeus* (1), *Schenckius* (4), *Thomas Bartholinus* (3) aliique, aliae apud *Morgagnium* (4) et *Swietenium* (5) inveniuntur, quae vix dubium hac de re relinquere possint. Homines, corde vulnerato, non per aliquot tantum horas, sed per plures dies, supervixisse, probant etiam observationes Doct. *Sénac* (6) et *Saviard* (7). Inter *Saviardi* observationes sequens potissimum notatu dignissima est (8): Anno 1778, in Nosocomio Hôtel-Dieu, a pluribus Chirurgis observatus est miles, qui, pectoris vulnere, ense inflicto, decumbens, post

(1) Libr. X. Cap. 32.

(2) Vidd. Observationes Medicae Rariores, pag. 275.

(3) Histor. Anatom. rarior. Centuriae I Histor. 77.

(4) De Sedibus et causis Morborum, Epist. 53. Cap. VI.

(5) Comment. in Boerhaavii Aphor. Tom. I. pag. 256 seqq.

(6) Traité sur structure et les maladies du coeur, Livr. IV. Chap. 6. §. 1 et 2.

(7) Recueil d'Observations chirurgicales, faites par Mr. Saviard, Paris 1784.

(8) Vid. l. l. pag. 508.

post Venaesectionem aliquoties repetitam, in tam laeta conditione versabatur, ut septimo die per duas horas ambularet; nono die solitis laboribus fungebatur, ad vesperam autem aliqua afficiebatur respirandi difficultate: die undecimo cum sociis suis tabernam petierat; hic autem ilico virium jacturam experiebatur et ad vesperam moriebatur. Vulnus, ense inflictum, ut cadaveris autopsia docebat, sinum cordis dextrum et Aortam penetraverat: pericardium et Thoracis cavum sanguine repleta inveniebantur. Cl. *Boyer*, in lectionibus de Pathologia Chirurgica, historiam faeminae narravit, quae cultro, quod ab inferiori in superiora dirigebatur, Thoracis cavum penetraverat et cordi vulnus inflixerat: per quatuor dies vixit et inopinato mortua est. Observationes hae, quarum numerus facile augeri posset (1), probare itaque videntur, hominem, post vulnus cordi inflictum, aliquamdiu supervivere posse. Quod ad alteram quaestionem attinet, cicatricis in corde repertae, hujusque vulnus, ante longius quoddam tempus factum, indicantis, primam, quantum scio, mentionem fecit Celeberrimus *Wolffius*, Chirurgus Expertissimus, in Observatione posthuma vicesima prima (2). Aliam observationem notavit Doct. *Rougnon* (3), in

(1) Si alia exempla velis, adeas Dict. des Sç. médicales, in v. *plaies du coeur*. Tom. XLIII. pag. 75 seq.

(2) Vidd. Acta Naturae Curiosorum Lipsiensia, an. 1705. pag. 287.

(3) Vidd. Considerationes pathologico-semioticae de omnibus corporis humani functionibus. Vesuntii 1786. Fascic. I. pag. 7.

in milite factam, qui Vesuntione in Nosocomio, quarto post morbum lateralem die, mortuus est, in cujusque dextro cordis ventriculo cicatrix conspiciebatur. Variis de hujus militis vita factis inquisitionibus, didicimus (ut auctor inquit): « eum « hominem, duobus antea mensibus, gladio vulne- « ratum fuisse, eumque posthac languidum, tristem « et taciturnum, mansisse in cubiculo communi, « per multos dies, fere absque cibo, et deinde ad « munera consueta rediisse. Unde patuit, quod « vulnus illud ventriculi dextri in hoc homine sa- « natum penitus fuisset, nisi, superveniente febre « acuta pleuritica, cordis motus vividiores facti, « superavissent resistentiam cicatricis incoeptae, qua « indicabatur cordis vulnus quinque circiter lineas « longum." Uti in hoc casu ventriculi cordis dextri inveniebatur cicatrix, ita in sequenti observatione, quam lectionibus debeo Cl. *Lisfranc*, ventriculi sinistri, ante longius tempus vulnerati, inveniebantur vestigia. Cl. nimirum *Lisfranc*, tempore, quo Nosocomii St. Ludovici erat alumnus, sequenti cadaveris sectioni adstitit: Nosocomii, quod Bicètre dicitur, alumni, in cadaveris examine occupati, cicatricem in pericardio et in corde inveniebant, quae quidem cicatrix vulnus indicabat, quod per mediam ventriculi sinistri crassitiem penetraverat. Sequentem observationem narravit Doct. *Meglin* (1). Miles in pugna singulari, in loco solitario facta, in

(1) Vid. Revue médicale, Française et étrangère, et Journal de Clinique de l'Hôtel-Dieu et de la Charité de Paris, Tom. XI. Paris 1823. pag. 133 seqq.

in sinistro Thoracis latere vulneratur, in Asphyxiam incidit, et a pugnae adjutoribus, eundem mortuum habentibus, relinquitur. Post aliquod tempus, sui iterum conscius factus, in Nosocomium defertur atque sanatur. Post longius tempus morbo, cum laesione facta nullum nexum habente, moritur aeger: in cadavere penitus consolidatum, et firmissima cicatrice tectum, cordis vulnus inveniebatur. Ex hisce observationibus, quas, quia apud Medicinae forensis scriptores non inveniri solent, notavimus, jure deduci posse videtur, quod cordis vulnera, quamvis perquam periculosa semper habenda sint, minime ad absolute lethalia possint referri.

Quemadmodum cor et vasa majora, Oesophagus etiam laedi potest, quod tamen rarissimum est, quum ad posteriorem Thoracis partem inveniatur. Oesophagi laesionem experti, atque ingestorum ex eodem in Thoracis cavitatem effusorum, symptomata dubia admodum esse atque incerta, vel sola historia morbi potest docere, quo periit Nobilissimus *Baro a Wassenaer*, Illustrissimus quondam Reipublicae nostrae Archithalassus, quo quippe, post maximos vomendi conatus atque cruciatus, viginti quatuor horarum tempore, mortuo, Oesophagi prope diaphragma rupturam invenit *Boerhaavius*, qui Herois aegrotantis curam habuerat, sed ne minime quidem malum inventum suspicatus erat (1).

Laesionis hujus phaenomena, quae a scriptoribus so-

(1) Vid. Atrocis nec descripti prius morbi historia, secundum Medicinae artis leges conscripta, Lugd. Bat. 1724. 8vo.

solent proponi, valde incerta sunt, quum symptomata nervosa, ab octavi nervorum paris laesione oriunda, cordis aliarumque partium vulnera etiam comitentur, atque frigoris in Thorace sensus, si aeger aquam bibat, percipiendus, sine Oesophagi laesione adesse et ab idiosyncrasia pendere possit, dum praeterea minime secundum artis rationalis praecepta permitti videtur, Oesophagi laesi metu praesente, aquam bibendam aegroto exhibere. Cl. *Lisfranc*, dum, castra militaria secutus, frequentiorem laesionis hujus observandae habuit occasionem, sequentia observavit symptomata, quae characteristica esse dicebat: sensum nimirum strangulationis, motum deglutitionis involuntarium, atque tensionem et dolorem Oesophagi, ac si corpus quoddam stimulans in illo adesset.

Pulmonum vulnera differunt, quatenus in superiori aut in inferiori eorundem parte obtinent, et prouti majus minusve vulnus pulmonibus inflictum sit. Laesorum pulmonum signa sunt, tussis frequens, sanguinis odor et gustus, sputa sanguinolenta; haec tamen non nisi in hominibus robustis, Thoracem bene conformatum habentibus et haemoptysi nunquam affectis, signum constituere possunt. Sanguis nonnunquam per continui solutionem effluit, atque vel arteriosi, salientis et spumantis, vel venosi, cum rivulo lentiori fluentis et obscurioris, indicia exhibet. Candelarum flamma vulneri admota vacillat: aëris in tela cellulosa infiltratio adest, de quo Emphysemate *Johannis Ludovici Petiti* sententia legi meretur: inflammatio demum et dolor pungens, plerumque fixus, mox ob-

observari solent. Verum omnia haec symptomata fallacia admodum sunt et plures dubitationis causas relinquunt. Ipsius Thoracis enim in singulis hominibus conformatio nimis differt, quam ut, laesionem expertus, eadem semper exhibere possit symptomata. Status autem, qui contra naturam saepius obtinet, pulmonum nimirum cum pleura cohaesio, in pectoris vulneribus penetrantibus, sive pulmones laesi aut integri sint, plura commoda afferre solet. Primo enim conditione hac cavetur (uti ingeniose haec monuit, Celeberrimus Nosocomii Charitatis Chirurgus, Cl. *Roux* (1), ne aër per vulnus, Thoraci inflictum, in pleuram introduci possit, cujus quippe cavum concretione ipsa deperditum est; secundo, abnormis haec conformatio impedit, ne pars pulmonis per vulnus exire atque herniam aut prolapsum ejusdem partialem, quales *Schenckius*, *Tulpius*, *Fabricius Hildanus*, *Ruyschius*, *Richterus*, *Sabatierius* et *Richerandus* observarunt, efficere possit: tertio, pulmonum hic cum pleura nexus impedit, ne sanguinis extravasatio in Thoracis cavo locum habere possit.

Si vulnus magnum sit et ad arteriam intercostalem aditus pateat, per chartam lusoriam, in circuli formam vulneri immissam, judicium ferre voluerunt de laesa vel non laesa arteria intercostali; hoc autem plerumque jam confici potest, inquirendo, num sanguis, dum nulla ejusdem in Thoracis cavitate accumulati symptomata adsunt, e fundo vulneris stillet, an vero ad ejusdem margines pro-

(1) Vidd. Mélanges de Physiologie et de Chirurgie, Paris 1809. 8vo.

prosiliat. Si vulnus parvum sit, sufficit saepe digiti indicis exploratio et arteriae, hujus auxilio facienda, compressio, qua instituta, videndum est, num sanguinis fluxus pergat. Tenendum autem est, quod, ingeniose monente Cl. *Louis*, auxilia forte plura, ad arteriarum intercostalium haemorrhagiam compescendam, excogitata, quam quidem exempla, satis comprobata, cognita sint harum arteriarum revera laesionem expertarum.

De sanguine demum in Thoracis cavitate accumulato dicendum est. Sanguinem hunc vasa intercostalia, mammaria (1) et illa, quae pulmonum substantiam perreptant, aut ad cor ipsum pertinent, praebere possunt. Symptomata, hanc conditionem indicantia, vel lente vel cito apparent, prout sanguis vel lente vel cito in pectoris cavo accumulatur. Signa sanguinis in Thoracis cavitatem effusi sunt; respiratio difficilis, cum oppressionis et anxietatis sensu conjuncta; inspiratio exspiratione minus magna atque profunda: in decubitu vel situ horizontali corporis, respiratio difficilior, quam trunco erecto et in anteriora inclinato. Decubitus in dorsum aegroto facilior redditur, si femora ad abdomen adducuntur, aut si corpus in anteriora flectitur, ita ut musculorum abdominalium relaxatio obtineat et diaphragma facilius descendere possit: si

(1) Laesae arteriae mammariae internae exempla videas in Saucerotte, Mélanges de Chirurgie, II voll. Paris 1801. 8vo. pag. 369, et in Diatribe Illustrissimi Larreyi, cui titulus: Observation sur une plaie d'arme blanche à la poitrine, etc. dans le Journal complément. du Dict. des Sçiences Médic. Cah. 23. Mai 1820. Tom. VI. pag. 193 seqq.

si aeger lateri sano incumbit, respiratio fere fieri nequit et metus suffocationis adest, contra respiratio liberior redditur, si in latus decumbit, laesionem expertum (1). Si sanguinis effusio major locum habet, Thoracis dilatatio in utroque latere differt: lateris vulnerati quippe costae majorem a se invicem referunt distantiam et altius attolluntur. Denique brevissima et frequentissima respiratio accedit, anxietates augentur, pallor mortalis in facie apparet, extrema frigere incipiunt, pulsus sensim debilior redditur et tandem vita extinguitur. Omnia haec, quae hactenus enumeravimus, signa, etiamsi characteristica esse videantur, aequivoca tamen sunt et difficillimum reddunt, de morbo ferendum, judicium. Certiora autem signa praebere dicuntur Thoracis percussio et Stethoscopi usus: verum haec exploratio aegrotis plerumque ingrata est et molesta, atque non in iisdem decumbentibus institui potest, quum abdominalia organa tunc in Thoracis cavo inveniri et diagnosin difficilem reddere possint. Pathognomonica tandem, e quibus extravasati, in pectoris cavitate, humoris praesentiam conficere possis, e sententia Cl. *Rustii*, Professoris Berolinensis, urinae retentio sunt atque major minorve agrypnia. Quae symptomata, quamvis ab auctoribus non indicari soleant, semper se observas-

(1) Symptoma hoc e sanguinis effusi in mediastinum pressione explicare solent auctores; experimenta vero in cadavere instituta docuerunt, altero Thoracis latere repleto, non in alterum latus mediastinum cedere. Symptoma illud ex eo itaque explicandum esse, quod Thoracis latus sanum, cui omne corporis pondus incumbit, non satis dilatari possit, post alios notavit Cl. Richerandus.

vasse Vir Cl. testatur, dum illis majorem, quam omnibus reliquis, fidem habendam esse censet.

Hisce de simplicibus et compositis pectoris vulneribus in universum disputatis, nunc de eorundem medicatione varia, qualem illam praecipui Gallorum Chirurgi commendare solent, dicendum est. Quod ea autem, nostris temporibus, Parisiis non inveniatur pectoris vulnerum videndorum occasio, quae ante decem, et quod excurrit, annos, ibidem in Nosocomiis verisimiliter fuit, ex mutata politica Galliae ratione facile intelligi potest. Neque tamen nunc etiam haec occasio, ne vel per annum dimidium, Parisiis deficere solet, quum in Nosocomio Hôtel-Dieu, in incolarum plenissima urbis parte inveniendo, ejusmodi plerumque aegroti adesse soleant, et hi, majori etiam numero, in Nosocomio cohortis praetoriae (hopital de la Garde royale) inveniantur, quum hujus cohortis praecipue milites singularis pugnae ineundae amantissimi esse soleant, atque propterea pectoris vulnera frequentius exhibere debeant. De practica itaque hujus capitis parte dicturi, in methodis, quas uterque, qui his Nosocomiis praeest, Vir Clarissimus, *Dupuytrenus* atque *Larreyus*, sequi et commendare solent, indicandis praeprimis versari conabimur.

Pectoris vulnere praesente, haemorrhagia, non e corde aut pulmonibus, verum ex arteria intercostali laesa locum habens, quam primum certe debet compesci. Hunc in finem, ut alibi, in Gallia quoque variae methodi sunt propositae, *compressio* nimirum, *ligatura*, vel *pura*, vel cum *substantia* fac-

facta, et laesae arteriae *dissectio*. Primus, qui in Gallia arteriae intercostalis laesae *ligaturam cum substantia*, id est una cum costa, cui arteria subjacet, instituerit, Doct. fuisse videtur *Gérard* (1), cujus exemplum in Gallia secutus est Celeberrimus *Goulard*, qui hunc in finem acum peculiarem falciformem, in apicis vicinia, foramine oblongo instructam, invenit (2). Hanc methodum in Germania a *Böttchero*, *Lebero* et *Steideleo* postea commendatam et modificatam, in Gallia non amplius adhibere videntur Chirurgi, neque immerito, quum hac ratione novum iterum vulnus, non tantum musculorum intercostalium et integumentorum, verum etiam ipsius pleurae instituatur, atque praeterea metus sit laedendi minoris arteriae intercostalis rami, qui ad superiorem costae, laesam arteriam tegentis, marginem decurrit. Instrumentum compressorium, ad sistendam arteriae intercostalis haemorrhagiam, primus proposuisse videtur Cl. *Lotteri*, Anatomes Professor Turinensis, qui laminam suam ferream, qua utebatur, cum Academia regia Chirurgorum Parisiensi communicavit (3). Eundem in finem, necessitate urgente, lamina eburnea usus est Cl. *Quesnayus* (4). Utrumque au-

(1) Vid. La Faye, dans les Notes sur le Traité d'Operations de Dionis. pag. 425.

(2) Vidd. Mémoires de l'Academie royale des Sçiences, pour l'année 1740. Garengeot, Traité des Operations de Chirurgie. Tom. II. pag. 430. Tab. IX. fig. 2.

(3) Mémoires de l'Acad. royale de Chirurgie. Tom. II. pag. XCV seq. Tab. I. 1—5.

(4) Mémoires de l'Academie roy. de Chir. Tom. II. pag. 126.

autem instrumentum, et *Lotterii* et *Quesnayi*, illud habet incommodum, quod per inspirationem et exspirationem motusque quoscumque corporis, arteriae compressio facile imminui possit, et contra vulneris labia inferiora nimis eodem premantur. Priori difficultate etiam premitur instrumentum *Bellocquii*, e duabus laminis, trochlea sibi admovendis, compositum (1), dum ultimum, quod diximus, incommodum auxilio imputari etiam debet, a Cl. *Richerando* proposito (2). Cum optimo autem eventu, in casu urgente, in usum vocatum videre licuit consilium *Desaltii*, suadentis, per vulnus, inter utramque costam, pannum linteum tali modo immittendum, ut ab interiori costarum latere saccus formetur, in quem major lintei carpti copia protrudatur: sacco repleto, pannus versus exteriora retrahatur, donec pro laesa arteria fulcrum sufficiens et firmissimum adsit. Methodum hanc, quam praeter alios proposuit *Lassus* (3), nostris etiam temporibus, *Richerandus*, *Lisfrancus* aliique Chirurgi Parisienses commendare solent. Arteriae intercostalis *dissectionem*, ad ejusdem haemorrhagiam sistendam, in Italia a *Flajanio* (4), et in Germania a *Thedenio* et *Loefflero* commendatam, Chirurgi in Gallia non cognoscere, vel saltem non adhi-

(1) Vidd. Mémoires de l'Academie royale de Chir. Tom. II. pag. 125 seqq. Tab. IV.

(2) Vid. Nosographie et Thérap. Chirurgicales. 5me édit. Tom. III. Paris 1821. pag. 280.

(3) Vid. Médecine opératoire. Tom. II. Paris 1797. pag. 149 seqq.

(4) Vid. Flajani, Collezione d'osservazioni e reflessioni di Chirurgia Tom. IV. Romae 1801.

hibere videntur. Bellianam autem methodum, quae in luminibus arteriae dissectae, hamulo Bromfieldiano protrahendis et separatim ligandis, consistit, sequi solet Cl. *Larreyus*, qui Vir Cl. certe copiosissimam habuit horum vulnerum observandorum, et auxiliorum, quae in illis proposita sunt, examinandorum occasionem.

Quamnam sanguis, in Thoracis cavitate accumulatus, indicationem exigit? Ad quam quaestionem responsuri, de tempore et modo, quo sanguis emitti debeat, varias principum in Gallia Chirurgorum sententias audire debemus. Antequam autem ad haec transeamus, pauca de Venae Sectionis usu, in Gallia potissimum commendato, in medium proferre liceat. Facile, vel me non monente, intelligitur, sanguinem in pectoris cavitate, haemorrhagia arteriae intercostalis laesae nondum cessante, accumulatum, Venae Sectione aliisve remediis universalibus minime tolli posse: cujus etiam rei exemplum notavit *Bellocquius*, qui in hujus arteriae haemorrhagia Venae Sectionem octies, intra octodecim horas, institutam, nullo modo autem haemorrhagiam imminutam, vidit (1). Alia autem res est, si *extravasatum* non e laesa arteria quadam notabiliori, verum e dissectis vasculis minoribus pulmonalibus, ortum sit. Quum enim Venae Sectionis auxilio, uti aliorum remediorum debilitantium usu, absorptio augeatur, illum in finem phlebotomia institui et, si per alias conditiones liceat, repeti posse videtur, ut, sine alia operatione institu-

tu-

(1) Vid. l. c.

tuta, sanguis, in Thoracis cavum effusus, resorbeatur. Clarissimus saltem *Magendie* in capacitatem, a pleuris formatam, et in peritonei saccum injectiones, in vivis animalibus, fecit, et fluidorum, hoc modo injectorum, absorptionem eo majorem esse et eo citius fieri invenit, quo major instituetur Venaesectionum numerus. Hinc explicandum est, quod hydrops pectoris Venae Sectionibus, secundum *Indicationem palliativam* aut *urgentem* institutis, saepissime imminuatur, in aegrotis saltem robustioribus, in quibus tantum earundem indicatio adest. Methodus certe haec, quam Cl. *Lisfranc* potissimum commendat, in aliis regionibus nondum, quantum scio, hunc in finem instituta, aliquam probabilitatis speciem habere, atque ulteriori indagatione et experientiae voce digna esse videtur. Quum enim sanguis, in telam cellulosam depositus, satis facile resorberi soleat, idem, ut probabile est, in ipsa pleura obtinet, dum inter telam cellulosam et membranas serosas parva tantum differentia adest. Cl. *Lisfranc* praeterea se observationes habere asserit, in quibus, vel cum consilio antea dicto, vel cum inflammationis minuendae scopo, Venae Sectione instituta, sanguinis, in pectoris cavo antea inveniendi, plenaria resorptio locum habuerat.

Si autem sanguis, in Thoracis cavitatem effusus, non resorbeatur, quaeritur, quonam tempore ex eadem emitti debeat? Chirurgi in Gallia militares suadent, mox, si vulnus factum est, illud claudere: cui etiam sententiae plerique Chirurgi Parisienses favere videntur. Ab his autem dissentit Cl. *Du-*

puy-

puytrenus, qui e sanguinis effusi, sponte se dissolventis, cum vulnere pulmonali contactu, causam febrium nervosarum et putridarum, suppurationis majoris aliorumque symptomatum, vulnera haec insequentium, explicandam esse statuit. Propterea *Dupuytrenus* vulneris dilatationem, et sanguinis evacuationem, illius immediatae reunioni, et hujus longiori morae solet praeferre. In his itaque *Dupuytrenus* antiquiorum Chirurgorum sententiam amplecti et methodum, ab *Ambrosii Paraei* tempore, ab optimis in Arte magistris, *Sabatierio* aliisque, propositam, sequi videtur. De hac autem methodo plures Parisienses Chirurgi, ante aliquot annos, judicium suum protulerunt, tempore caedis fraudulentae, qua *Dux Berryensis* periit. Facinore enim hocce peracto, principes Lutetiae Chirurgi in auxilium vocabantur, eorumque alii immediatam vulneris, in pectoris cavum penetrantis, reunionem suadebant, aliis cum *Dupuytreno* vulneris dilatationem commendantibus. Hanc ipse instituit *Dupuytrenus*, frustra autem: septima enim post vulnus inflictum hora, jam morti succubuit Dux Illustrissimus. — Ex autopsia cadaveris patuit, pulmonem dextrum, sinum dextrum cordis et diaphragma vulnerata fuisse ense sicarii. Quo triplici gravissimo vulnere invento, nulla certe culpatio in Cl. *Dupuytrenum* cadere potest. Verum haec hactenus.

Nova vulnerum pectoris penetrantium sanandorum ratio, quae consistit in iisdem, etiamsi haemorrhagia (non e laesa arteria intercostali proveniens) gravior sit, mox claudendis, methodus esse vi-

videtur, quae inter hujus seculi inventa referri mereatur. Primus, quod scio, hujus indicationis necessitatem indicasse videtur, qui triginta annorum praxi inclaruit, *Dominicus Joannes Larreyus* (1); atque, post hunc Virum Clarissimum, *Marcus Antonius Petitus* (2) atque *Dumasius* (3). Inter Chirurgos Parisienses, qui nostro tempore magna nominis celebritate fruuntur, Viri Cll. *Roux* (4) et *Richerand* (5) eandem sententiam in scriptis suis professi sunt, dum plerique inter reliquos methodum hanc, data occasione, adhibere solent. Et revera hac methodo in usum vocata, plura evitantur incommoda, vulneris dilatationem mox secutura: vulnere quippe citissime clauso, aëris ad pulmones per idem accessus impeditur, quo fieri nequit, quin respiratio difficilior reddatur, laesi pulmonis inflammatio augeatur, atque haemorrhagia interna continuo increscere et aegrotum debilitare debeat. Contra vulneris apta deligatione mox instituta, sanguis, quamvis majori quantitate effusus, obstaculum est, quo minus haemorrhagia pergere possit; vel saltem plerumque e coagulato sanguine thrombus formatur, qui, quamdiu sibi relinquitur, optimum est novae haemorrhagiae impedimentum. Quum autem san-

(1) Rélation historique et chirurgicale de l'expedition de l'armée d'Orient en Egypte et en Syrie, Paris 1804. 8vo.

(2) Vid. Essai sur la Médecine du coeur, Lyon 1806. 8vo.

(3) Vid. M. J. Dumas, Dissertation sur les playes de la poitrine, Strasbourg 1806. 4to.

(4) Vidd. Nouveaux élémens de Médecine Opératoire, l. l. Tom. I. pag. 377 seq.

(5) Vid. Nosographie etc. l. l. Tom. III. pag. 277 seqq.

sanguis, in Thoracis cavo per aliquot tempus accumulatus, in corruptionem abire et sic Chemica ratione pulmonibus nocere, eorundem, vel pleurae inflammationem, suppurationem atque denique febrem hecticam producere debeat, si non prius jam aeger ex oppressione, strangulati adinstar, perierit, quaeritur, quonam tempore vulnus denuo aperiendum et sanguis emittendus sit? Ad hanc quaestionem Celeberrimi in Gallia Chirurgi jure respondent, vulnus, si hoc requiratur, aperiendum demum esse, si omnia pergentis haemorrhagiae internae symptomata cessaverint, atque vel tunc per aliquod etiam tempus exspectandum esse, ne nova haemorrhagia oriatur. Quas de hac methodo instituta, praeter alios, notarunt observationes *Larreyus* (1) atque *Dumasius* (2), ab omni parte sufficere videntur, quae hujus methodi praestantiam ac necessitatem doceant.

De Empyematis operatione, post pectoris vulnera penetrantia saepius necessaria, pauca tantum, no-

(1) Vid. l. c. Conferantur praecipue Mémoires de Chirurgie militaire et Campagnes. l. l. Legantur etiam, Observation sur une plaie d'arme blanche à la poitrine, suivie de Réflexions sur les effets de l'opération de l'empyème, que cette blessure a nécessitée, et de plusieurs autres observations remarquables sur des plaies analogues; par M. le Baron Larrey: dans le Journal Complém. du Dict. des Sç. Médic. 23 Cah. Mai 1820, Tom. IV. pag. 193 seqq. Observation sur une plaie pénétrante de la poitrine, avec quelques Réflexions sur les causes de l'emphysème; Ibid. Cah. 25. Juillet 1820. Tom. VII. pag. 89 seqq.

(2) Legantur Observationes sex, lectu dignissimae, in Dissertione laudata.

notatu digna, dicenda habemus (1), quapropter in his brevitati studere liceat. Quod, primo loco, operationis hujus necessitatem spectat, facile intelligitur, eandem evitari non posse, si major sanguinis vel alius fluidi, in pectoris cavo, accumulatio obtineat, haec autem fluida nec resolutione, nec absorptione, a Natura instituendis, post aliquot dierum tempus, disparuerint.

Haec autem operatio eo magis necessaria erit, quo major adsit respirandi difficultas, pectoris oppressio, verbo, quo graviora sint omnia fluidi, in pectoris cavum majori quantitate effusi, symptomata; in primis, si vulnus in parte Thoracis elevatiore locum habeat. Quod ad ejusdem instituendae tempus attinet, omnes fere in Gallia Chirurgi in eo conveniunt, operationem non institui debere, antequam omnia haemorrhagiae symptomata cessaverint, atque vasorum, sanguinem antea fundentium, plenaria consolidatio locum habuerit, i. e. in universum symptomata, Empyematis operationem indicantia, inter quintum et nonum diem adesse solere, raro autem operationem ante septimum, vel post decimum quintum diem, si a vulneris inflicti tempore computationem incipias, institui debere.

Quamvis, si Chirurgiae historiam consulamus, Empyematis operationem in Gallia institutam aut com-

(1) Gallorum de Empyematis operatione doctrina cognosci poterit, legendo: Larrey, Mémoires de Chirurgie militaire etc. Tom. III. pag. 442 seqq. Dict. des Sciences Médicales, in v. *Empyeme*; Tom. XII, pag. 4? seqq. (par Rullier).

commendatam esse legamus, ab *Ambrosio Paraeo*, *Josepho Covillardo*, *Petro Dionisio*, *Johanne Philippo Verducio*, *Augustino Bellostio*, *de la Mottio*, *Garengeoto*, *Johanne Ludovico Petito*, *Hugone Ravatonio*, *Claudio Pouteavio* atque a tribus Chirurgis expertissimis, quorum observationes in Actis Academiae Chirurgicae Parisiensis inveniuntur, a *Fouberto* (1), *Le Dranio* (2), atque *Morando* (3), in universum tamen dici potest, hanc operationem inter rariores pertinuisse atque non, nisi in casu urgente, a Chirurgis in usum vocatam fuisse. Frequentissime autem, et cum optimo eventu, recentiori tempore, in Gallia institutam esse hanc operationem, vel solae probare possunt observationes, in scriptis Cl. *Larreyi* inveniendae (4).

De loco, in quo fieri debeat Empyematis operatio, Chirurgi in Gallia nondum conveniunt. *Larreyus*, *Boyerius* aliique, *Choparti* et *Desaltii* consilium secuti, locum Thoracis maxime declivem

(1) Vid. Observation sur un abscès au poumon; dans les Mémoires de l'Academie royale de Chirurgie. Tom. I. Par. 1743. pag. 717. seq.

(2) Vidd. Mémoires etc. l. l. Tom. II. Paris 1753. pag. 431 — 444.

(3) Vid. Sur une Hydropisie de poitrine, guérie par operation; dans les mêmes Mémoires, Tom. II. pag. 545 seqq.

(4) Praeter Dissertationes, ad calcem hujus capitis laudandas; conferas etiam: L. R. Lefaucheux, Observations sur l'empyème; dans le Journal général de Médecine. Tom. XXI. pag. 49 seqq. et Fréteau, Mémoire sur une opération d'empyème etc. ibidem Tom. XLVII. pag. 121 seqq.

vem eligere solent. Contra hanc methodum autem, quam etiam antiquiores Chirurgi commendare solebant, observationes afferri possunt, in quibus, hepate aut omento nimium volumen habentibus, diaphragma maxime intra Thoracis cavitatem protrusum inveniebatur, aut in quibus, uti hoc observarunt Viri Cll. *Laennec et Lisfranc*, diaphragma inter pleuram costalem atque pulmones plicam constituebat. Plures propterea Chirurgi Parisienses locum altiorem, operationem facturi, praeferunt: sic *Richerandus* v. c., in his cum *Sabatierio* et *Pelletano* consentiens, in dextro latere, spatium inter quartam et quintam costam inferiorem, in sinistro, illud inter tertiam et quartam, si ab infima numerare incipias, ad Empyematis operationem aptissimum censet, in eoque hanc operationem instituere solet. Imo nonnulli auctores, e diaphragmatis laedendi metu, locum altiorem etiam eligunt: sic v. c. *Lassus* (1), in utroque latere, Empyematis operationem inter costam quartam et quintam instituendam esse censet, dum Cl. *Lisfranc*, costarum computationem a crista iliaca incipiens, spatium intercostale, inter sextam et septimam utriusque lateris costam inveniendum, pro Empyematis operatione eligit. Quod ad distantiam a columna vertebrarum attinet, in qua punctura facienda est, antiquiores in Gallia Chirurgi, e musculorum spinalium, sacro-lumbaris et caeterorum, laedendorum metu, locum, maxime a columna verte-

(1) Vid. Lassus, Traité élementaire de Médecine opératoire. Tom. II. pag. 153 seqq.

tebrarum remotum, commendare solebant: recentiores autem Parisienses Chirurgi, arteriarum intercostalium decursu et divisione melius cognitis, operationem ad dimidii tantum, vel ad summum ad integri, pollicis a flexura costarum posteriori distantiam, instituere solent, quum, quo magis ad anteriora Thoracis accedamus, eo major vasorum intercostalium laedendorum metus sit. Denique notandum est, quod acu triquetra cannulata, a *Senaco*, *Morando*, *Du Verneyo* aliisque commendata, non amplius uti soleant Parisienses Chirurgi, sed quod ad hanc operationem peragendam simplicis cultelli, apice secante aut obtuso instructi, usum praeferant, quo, plica cutis perpendiculari ad costarum ductum facta, strata spatii intercostalis, in media parte perforandi, seorsim secare, et vulnus pro lubitu majus minusve facere, possint.

In Emphysemate, vulnera Thoracis penetrantia plerumque concomitante, cucurbitas siccas atque scarificatorias maximum usum habere, apud *Larreyum*, in Nosocomio cohortis praetoriae, videre licuit. Caeterum, quae de Emphysemate scripserunt *Breschetus* (1), *Rullierius* (2) atque *Muratus* (3), lectu dignissima sunt atque Gallorum de eodem sententias indicant.

Quae Galliae, de pectoris vulnerum penetrantium

(1) Vid. Dict. des Sc. Médic. in v. *Emphysème*. Tom. XII. pag. 1 — 33.

(2) L. c. pag. 133 seqq.

(3) Vid. Dictionnaire de Médecine, en dix-huit volumes, in v. *Emphysème traumatique*. Tom. VII. Paris 1823. pag. 396 seqq.

tium doctrina, peculiaria esse videbantur, breviter indicavimus: plura, ut fateor, non explicata supersunt, quum eorundem observandorum, vel sententiae de illis audiendae, nulla mihi data fuerit occasio. Quum autem Chirurgorum Academia sive Societas Parisiensis de hisce vulneribus quaestionem pro certamine literario proposuerit, speramus fore, ut ejusdem Responso major etiam huicce doctrinae lux affulsura sit.

P. A. Ravet, *Sur les plaies de poitrine*, Strasbourg 1803. 4to.

Audouard, *De l'empyème; cure radicale obtenue par l'opération, et de l'erreur à éviter dans les maladies de la poitrine* etc., Paris 1808. 8vo.

Conan, *Propositions sur les épanchemens, qui se font dans l'intérieur de la poitrine*, Paris 1810. 4to.

P. C. Baffos, *Dissertation sur l'empyème*, Paris 1814. 4to.

E. Rumère, *Dissert. sur les plaies d'armes à feu pénétrantes dans la poitrine*, Paris 1814. 4to.

R. M. Delavau, *Dissertation sur les plaies de poitrine*, Paris 1816. 4to.

N. Albert, *Dissertation sur l'empyème*, Paris 1817. 4to.

DE ULCERIBUS.

Indicatio, cui ad ulcerum sanationem, artis auxilio perficiendam, Chirurgi in Gallia satisfacere solent, ab illâ, quam nostrates aut Germani formare solent, in eo universe discrepat, quod hi, remediorum internorum usu, morbosam corporis diathesin corrigere atque tunc demum topica illa mala, in primis si inveterata sint, aggredi soleant, illi vero, fortiorum mitiorumve remediorum usu, medicationem ulceribus, quae dicitur, directam administrare studeant. Atque hunc in finem variae compositionis adhiberi solent Cataplasmata, quorum usus tam frequens est, ut magnam eorundem copiam, quae in St. Ludovici Nosocomio aut in Hôtel-Dieu simul per coctionem paratur, maxime mirari debeamus. In usum magis communem Cataplasma *emolliens* in Nosocomiis Parisinis adest, quod e farinae lini et hordei partibus aequalibus, cum aqua coctis, constat, atque cujus Libris duabus Uncia *Unguenti Basilici* additur, si suppurationis augendae scopus est. Frequenter etiam Cataplasma *anodynum* adhibetur, quod e farina lini et hordei cum Decocto Capitum papaveris, vel cum aliquot Laudani liquidi guttis, solet parari. In ulceribus inveteratis saepius Cataplasmata haec adhibentur, quamvis etiam Unguenta plura, in eorundem sanationem, in Nosocomiis inveniantur at-

que in usum vocentur (1). Clarissimus tamen *Roux*, suo in Angliam itinere, Unterwoodianam methodum (2), a Viris Doctissimis *Baynton* (3) et *Simmons* (4) postea commendatam et quodammodo mutatam, edoctus, eandem nonnunquam in Nosocomio Charitatis adhibet, dum inveteratorum ulcerum margines, Emplastri adhaesivi auxilio, sensim ad semet invicem adducit.

Inter remedia externa, quorum, in sanandis ulceribus consuetudinariis, malignis, herpeticis, scrophulosis, inveteratis venereis aliisque similibus, cum livido colore ac torpore sociatis, usus non infrequens esse solet, Arsenicalia pertinent, cum quibus Viri Clarissimi *Biett*, *Dubois* et *Dupuytren* experimenta plura instituerunt, quae postea, quando de Carcinomate et morbis cutaneis dicturi sumus, enumerare poterimus. In ulceribus vero scrophulosis, syphiliticis atque herpeticis, Solutione *Fowleri* (Arsénite de Potasse) (5), sequenti mo-

(1) Vid. Formulaire pratique des hôpitaux civils de Paris etc., par Ratier, Paris 1823. pag. 78 seqq.

(2) Vid. A treatise upon ulcers in the legs, with an Introduction on the process of ulceration and the origine of pus laudabile etc., by M. Underwood, London 1783. 8vo.

(3) Vid. Th. Baynton, Account of a new method of tread old ulcers of the legs, London 1798.

(4) Vid. A. Duncan, Annals of Medicine for the year 1797. Exhibiting a concise view of the latest and most important discoveries in Medicine and medical Philosophy, Edinb. et Lond. 1798. 8vo.

(5) Paratur sequenti modo:

℞. Protoxyd. Arsenic. pulverisati
Proto-Carbonat. Potass. aa. gr. LXIV.
Aq. destillat. ℔. ß.

modo, in St. Ludovici Nosocomio, utitur Cl. *Biett:* minori ulcerum parti Solutione hac cum prudentia immissâ, crusta formatur, quae sensim durior evadit atque, post aliquot dies, vel sponte solvitur, vel Cataplasmate emolliente separatur; eidem loco, nisi cicatrix jam formata sit, eadem Solutio iterum immittitur, cujus usus tam diu continuatur, donec insula formata sit, quae remedii hujus, eodem modo in usum vocati, auxilio major continuo reddatur. Secundum hanc methodum curatione instituta, ulcera illa non raro universali cicatrice teguntur. Tempore, quo Nosocomium, Syphiliticis morbis sanandis inserviens, frequentare atque *Cullerierium*, aetate minorem, adire mihi licuit, experimenta quaedam ab hoc Viro Expertissimo, faeminarum in hoc Nosocomio praxin faciente, instituta vidi cum Natro muriatico oxygenato, antisepticas potissimum virtutes habente. In ulceribus chronicis, putridum odorem exhibentibus, remedio hocce, aqua diluto, utebatur *Cullerierius*, atque ejusdem usu eadem eo citius sanabat, quo major erat Syphiliticae eorum naturae suspicio. Hac methodo ulcera saepe foedissima, quibus puellae ac faeminae, comis in aggerem structis ornatae, in Nosocomio hocce decumbunt, quaeque saepe inter digitos pedum, ad vulvam et ad anum situm suum habebant, mox jam teterrimo suo odore destituta, et cicatrice plerumque mox tecta vidimus. Quod

Retortae immissa digerantur in balneo arenae, donec solutio obtinuerit, cui Uncia dimidia Spiritus Lavendulae addatur atque aquae q. s., ut Solutio Libram constituat.

Quod ad ulcera gangraenosa attinet, h. l. mentionem tantum faciemus observationis de Gangraena senili, propter autopsiam cadaveris memoratu dignae nobis visae. In Nosocomio Hôtel-Dieu septuaginta annorum senem vidimus, qui, omnium membrorum magnam siccitatem et gracilitatem referens, frigoris et dein fervoris sensum in pedum digitis expertus erat: inflammatio a digitorum phalangibus ad metatarsum et tarsum sese extenderat; nunc autem pravae indolis humorum effluxus jam locum habebat, dum Gangraena, quae a pedum digitis inceperat, eorundem partem plantarem et dorsalem jam occupabat. Morbus per breve tempus minui videbatur, mox autem resurgebat. Post aliquot dierum tempus mortuus est aeger: pleura plagam majorem, quae in osseam naturam conversa erat, referebat, dum inferiorum extremitatum arteriae, iliaca interna praecipue, cruralis atque poplitea cartilagineae factae erant et in dissectione crepitum peculiarem edebant. — Inter ulcera sanatu difficiliora certe referri merentur, quae e Carbunculis aut pustulis malignis oriuntur. In Nosocomio, quod a Deo nomen habet, juvenem vidimus, equorum curam habere et prope eosdem dormire solitum (quam conditionem huic morbo evolvendo potissimum favere, censet *Dupuytrenus*), cujus alteram palpebram superiorem occupabat pustula maligna, quam magnae phlyctenes circumdabant. Palpebram superiorem, et mox etiam totius oculi ambitum, Gangraena occupabat: visus jam perierat. Post institutas Venae Sectionem et Scarificationes, *Dupuytrenus* cauterio actuali totam ul-

ulceratam partem, in morbi initio, jam destruxisset, si tunc jam oculi functio turbata fuisset. Visum quidem non servavit, aegrotum autem, intra breve tempus, interno et externo Quinines usu sanavit Vir Cl., qui in similibus conditionibus, vel inflammatione adynamica adhuc praesente, roborantia et tonica prae antiphlogisticis adhibenda esse censet. — Ulcera cancrosa e labe syphilitica ortum saepius habere, res est notissima: idem doceat morbi sequentis historia. Die 10 mensis Decembris, anni 1824, in eodem Nosocomio aegrotum vidimus, qui, ad internum genu sinistri latus, ulcus magnum habebat, e vulnere, quod, ante longius tempus, in loco illo acceperat, ortum. Cicatrix quippe sponte saepius resoluta erat, et vulnus sensim in ulcus pessimae notae mutatum erat. Ulcus nimirum inaequalem superficiem et margines duros inversos referens, sordido suo adspectu atque foetore, quem spargebat, cancrosam indolem indicabat. Saepius morbos Venereos male sanatos expertus erat aegrotus, contra ulcus autem, quod superiorem cruris sinistri partem occupabat, Chirurgi consilio usus erat, qui cauterium adhibuerat, quod largam suppurationem praebuisse dicebat. Ulcus tempore, quo aegrotum vidimus, urentibus et lancinantibus doloribus eidem molestissimum erat, caeterum autem parvam tantum puris quantitatem praebebat. Infra ulcus itaque, in loco parti morbosae vicino, artificiale emunctorium factum est, quod autem post aliquot dies nullius usus esse videbatur. Praeter pedis amputationem nullum auxilium superesse censebat *Dupuytrenus*. Ulcere genui nimis propinquo, ut

in articulo ipso amputatio fieri posset, die 24 Decembris, femoris amputationem instituit Vir Clarissimus. De Amputationis modo, *Dupuytreno* peculiari, et in hoc etiam casu in usum vocato, ut morbi historia integra sit, verbulum addere liceat. Cute femoris sinistri, quantum fieri poterat, ab amanuensi in superiora tracta, una eademque cultri sectio circularis omnes partes molles ad os usque dividebat. Inferiori femoris frusto serra ablato et ligatura vasorum facta, magna musculorum et cutis, quae vulnus tectura erat, pars inveniebatur superstes. Deligatio ita fiebat, ut fascia circularis, quae a superiori femoris parte incipiebat, ad inferiora descenderet, atque femur, ad aliquam usque a vulnere distantiam, circumdaret. Hac encheiresi cutis et musculi super partem ossis relictam ducebantur eamque egregie ubivis, pulvini adinstar, tegebant. Emplastri adhaesivi laciniae, quibus vulneris labia ad se invicem adducebantur, non cuti ipsi, sed fasciae circulari, femur circumvolventi, imponebantur. Ulcus, post amputationem accuratius examinatum, non tantum lardaceum erat, verum musculi etiam in substantiam adiposam partim mutati inveniebantur. Pars tibiae ablatae, ad quinque vel sex pollicum longitudinem, et integri pollicis latitudinem, destructa inveniebatur, dum ejusdem medulla superstes quidem, sed maxime mutata erat: in externa et posteriori partis, a femore ablatae, superficie leves etiam exostoses aderant; femur autem, quatenus aegroto relictum, sanum esse videbatur. Post aliquot dies aegrotus sine fe-

bre

bre et sine doloribus erat, ita ut, eundem sanatum esse, cogitemus. Sed ad argumentum nostrum revertamur.

Nemo est, quem fugiat, pedum ulcera in Gallia in universum facillime ac citissime sanari solere, dum, in aliis regionibus, omnia artis auxilia non raro respuunt et inter cruces Chirurgorum numerantur. Cujus phaenomeni ratio partim in aliis causis, ad climatis indolem et corporis constitutionem pertinentibus, quaerenda est, partim autem ad ipsius sanationis methodum referri posse videtur. Quum nimirum cutis, ulcera haec ambientis, tensionem ac telae cellulosae vicinae indurationem inter praecipua formandae cicatricis impedimenta numerandas esse statuant, in duplici hac conditione abnormi tollenda Chirurgi omnem fere in Gallia curam ponere solent. Ulcera nimirum strato lintei carpti mollioris teguntur, cui Cataplasma emolliens imponitur, quo, multo majori quam ulcerata partis superficies, partium ambientium relaxatio obtineat, inflammatio minuatur et omnis stimulus alienus arceatur. Ad hancce curam localem quiete, situ horizontali ac diaeta tenui refrigerante, accedentibus, ulcerum margines callosi et partium vicinarum tumor minuuntur sensimque disparent, suppuratio melioris notae obtinet, dolores imminuuntur, ulcerum fundus elevatur, granulatione impletur et aequabilior redditur. Cicatricis genesi in ulcerum superficie incipiente, plura lintei carpti strata iisdem imponuntur, Cataplasmatum tamen usu semper continuato, quippe quo, ad Cicatricem formandam necessaria, conditio, cutis nimirum ambien-

bicntis relaxatio obtineat. Tota ulcerum superficie cicatrice fere tecta, granulatio luxurians lapide infernali demum compescitur, dum, hac non locum habente, tota ulcerum curatio Cataplasmatum usu absolvitur. Cataplasmata, hac ratione in usum vocata, multiplici certe modo possunt prodesse, quum non tantum cutis, ulcera ambientis, stricturam et indurationem tollant, verum etiam, linteo carpto, ulcera tegenti, imposita, calore suo prosint.

Notum enim est, quod plura ulcera non tantum Unguenta et pinguia, verum etiam humida quaecumque, respuant atque eorum usu potius pejora, quam meliora, reddantur: quod si obtineat, Cataplasmata omnia, etiamsi modo descripto in usum vocentur, minus prodesse censerem. Mirandum itaque est, quod sicca ulcerum deligatio, qua, in ulceribus scorbuticis, scrophulosis atque arthriticis sanandis, plerumque indigemus, in Nosocomiis Parisiensibus non adhiberi soleat, atque quod Gallorum Chirurgi in universum adstringentibus et aromaticis remediis externis rarius utantur.

His de ulcerum praxi, qualis a plerisque in Gallia Chirurgis institui solet, disputatis, quaestio fieri posset, quaenam in universum de ulcerum doctrina Gallorum Chirurgis sententia esse soleat, aut, quid iidem in ulcerum diagnosi vel Helkologia, strictiori sensu dicta, praestiterint? Diximus, Chirurgos, in Nosocomiis Parisiensibus aegrotorum curam habentes, in ulcerum sanatione occupatos, remediis potissimum externis uti, minus autem universae corporis dispositionis rationem habere solitos esse. Ne ex hac, quam antea protulimus, senten-

tentia perversum fiat de hac Chirurgiae in Gallia parte judicium, monendum est, haec magis Chirurgorum Parisiensium agendi rationem, quam eorum doctrinam respicere. Plerique enim Celeberrimi Galliae Chirurgi in eo conveniunt, quod ulcera saepissime e corporis constitutione interna proveniant, sive haec sola ulcera producat, aut eadem saltem, per causam externam facta, alat atque persistere faciat (1). Facile autem intelligitur, quod, in aegrotorum ditissimis Nosocomiis Parisiensibus, Chirurgi, ulcerum curam habentes, hanc doctrinam melius profiteri (2), quam eidem in praxi satisfacere, possint, et quod saepe, vel inviti, uniforme magis medendi genus adhibere, et eodem Cataplasmatis aut Unguenti genere plurium aegrotorum, in eodem cubiculo decumbentium, ulcera tegere, debeant. Quod ad ulcerum diagnosin et Nosologiam attinet, in his, recentiori tempore, majori sedulitate Chirurgi in Gallia versati sunt, nondum autem ea in his praestiterunt, quae Germaniae tribuenda videntur (3). Quamvis enim in

(1) „ L'ulcère est une affection chronique, produite ou entre„ tenue par une lésion vitale; la solution de continuité n'est plus „ içi la maladie principale; elle n'est que le symptôme d'une affec„ tion interne, locale ou générale, disposition intérieure, à laquelle „ l'ulcère est du, ou qui empêche la cicatrisation." Richerand, Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales. 5me édit. Paris 1821. Tom. I. pag. 381 seqq.

(2) „ Le traitement de la plaie est mécanique, chirurgical; celui „ de l'ulcère est medical; la diète et la pharmacie fournissent les „ principaux remèdes, et les topiques y sont d'une moindre impor„ tance." Richerand l. c.

(3) A. G. Weber, Allgemeine Helkologie; oder nosologisch-the-

in ulcerum divisione statuenda, et in eorumdem symptomatibus describendis, *Richerandus* aliique Celeberrimi Galliae Chirurgi operam non spernendam posuerint, sperandum tamen restat, fore, ut sedulus aliquando Naturae observator atque interpres, in ulceribus, quorum observandorum Nosocomia Parisiensia et Polyclinica, cum iisdem conjuncta, frequentissimam occasionem praebent, accuratius definiendis eodem modo omnes fidelis observationis et ingenii vires positurus sit, quo *Alibertus* in morbis cutaneis describendis versatus est.

Richerandus Vir Cl. ulcera, quae causam quandam agnoscunt specificam, ad octo genera posse referri, eaque, si analogiam spectes, sequenti ordine recenseri debere, statuit: *Atonica; Scorbutica; Scrophulosa; Syphilitica; Herpetica; Carcinomatosa; Tineosa; Psorica.* Fieri potest, ut, secundum hunc ordinem, optime ab uno ad alterum genus transitus fieri possit, alia autem quaestio est, num revera ad octo haec genera omnia ulcera specifica possint referri? Quod equidem non credo; haud infrequentia enim, ulcera *leprosa* atque *arthritica* vix ad aliquam harum specierum possunt referri, dum idem de ulceribus, ex *ossium carie* natis, affirmandum videtur.

Inter haec ulcera, in Nosocomiis Parisiensibus frequentissima mihi visa sunt ulcera scrophulosa, quae

therapeutische Darstellung der Geschwüre etc., Berlin 1792. 8vo. J. N. Rust, Helkologie, oder über die Erkenntnis und Heilung der Geschwüre, Wien 1811. 2 Bde. gr. 8vo.

quae forte apud Gallos, climate calidiori fruentes et victu carneo uti potissimum solitos, minus exspectares: hoc autem explicandum videtur, cum e perverso vitae regimine, quod infantibus, rarissime lac maternum sugentibus, vulgo habetur, tum etiam e domiciliorum ratione, quae magno incolarum numero arctissima et humorem redolentia esse solent, praeterea e copiosissimo panis usu aliisque forte similibus rationibus. Hinc itaque patet, quod in regione, in qua flavae aut rufae et oculis glaucae (Blondines) rarissimae sunt, Scrophulae et ex his nascenda incommoda non desiderentur.

Amard, *Mémoire sur les ulcères en général*, Paris 1802. 8vo. (Conf. *Journal général de Médec.* Tom. XVI. pag. 464 seq.)

Cerault, *Essai sur les ulcères de la peau*, Paris 1819. 4to.

DE FISTULIS.

Quum fistulae modo e puris deviatione, fasciarum incongruo usu facta, modo e partium pressione aut situ abnormi, modo e corporibus alienis aut ossium morbis, modo ex organorum secernentium aut excernentium laesione, atque e tot aliis causis, cum idiopathicis tum sympathicis, oriantur, et quum praeterea modo simplices sint et superficiales, modo maxime compositae, sinuosae et a corporis superficie re-

remotae, sponte confici potest, earundem saepe et diagnosin et sanationem difficillimas esse, atque hanc pro varia conditione multum differre debere. Neque difficulter ex his intelligitur, quod, vel causarum, cum mechanicarum, tum dynamicarum, remotione, vel partium compressione, vel orificii hiantis dilatatione, vel totius canalis subcutanei ab origine ad finem transscissione, vel eidem orificio altero conciliando, vel injectionibus, vel cauterii usu, vel setacei trajectione, vel demum deligatione, morbo huic, omne artis auxilium saepe repudianti, mederi debeamus. In magna aegrotorum ubertate, quos, vario fistularum genere decumbentes, in Nosocomiis Parisiensibus, Nosocomio *Dei*, *Charitatis* et *St. Ludovici* praecipue, observare mihi licuit, notatu certe dignas, morborum quasdam historias h. l. narrare possem. Quum autem in nullo forte morborum genere, propter sanationem, longissimum persaepe tempus requirentem, tales observationes, in singulis aegrotis factae, scriptu adeo difficiles sint, quam quidem in fistulis, variam corporis partem occupantibus, ab his morborum historiis abstineamus, et potius illa indicare conemur, quae earundem medicationem, qualis in Nosocomiis fieri solet, observantibus, notatu digna et ad earundem Therapiam fructuosa esse videbantur.

Quum duplex, secundum observationem, a Chirurgis, in Gallia potissimum, recentiori tempore factam, in fistularum decursu obtineat stadium, indole sua maxime diversum, duplex quoque est Indicatio primaria, cui, prout in primo aut altero sta-

stadio versetur fistula, satisfaciendum est. In primo nimirum fistularum stadio, earundem superficies interna, stimuli morbosi efficacia, in statu quidem versatur abnormi, sed illam nondum experta est mutationem organicam, quae impediat, quo minus sanatio locum habere possit. Interna enim fistularum recentium superficies, Autopsia in homine vivo et Anatome pathologica in cadavere hoc docentibus, ubivis tecta invenitur carunculis cellulosis et vascularibus, quae similes sunt illis, quas in vulneribus suppurantibus observamus. Quamdiu itaque primum hoc fistularum stadium obtinet, nihil impedit, quominus sanatio locum habeat, modo Indicationi, quae in causa, aut causis, si adsint, pluribus, apte et caute removendis posita est, satisfieri possit. Alia autem res est in altero earundem stadio. Accurata quippe Naturae, in statu corporis morboso operantis, observatio docuit, in fistulis, si per aliquod tempus adfuerint, ita mutari organicam partium, easdem componentium, fabricam, ut interna fistularum superficies membrana mucosa investiatur, partem penitus novam, antea non praesentem, constituente, quae novas sequitur agendi leges, et secretionis abnormis, ad *accidentales* referendae, negotio fungitur. In describenda membrana hacce mucosa, cujus primam mentionem fecisse videtur *Johannes Hunterus*, operam suam non posuit Cl. *Bichatus*, in rebus caeterum, ad Anatomen subtiliorem pertinentibus, subtilissimus auctor. Quae igitur de his in *Bichati* Classico *de Anatome Generali* Libro desiderantur, e Clarissimi *Dupuytreni* observationibus supplere conemur.

mur. In fistularum nimirum inveteratarum conformationem diligentius inquirendo, se sequentia didicisse narrat, princeps inter nunc viventes, Galliae Chirurgus: membranam hanc, fistulas investientem, in damnum telae cellulosae formari; eandem ubivis magna vasorum capillarium copia instructam, atque cum partibus, quas investit, per telam valde stipatam (très serré), laminatae structurae, conjunctam esse: ejusdem sensibilitatem, in universum, valde obscuram esse, aptam autem, quae maxima fieri possit, post stimulorum majorum perceptionem; membranam hanc exhalationis et absorptionis, utriusque valde vigentis, munere fungi; stratum hoc membranaceum, fistulas tegens, eo citius formari et structuram suam induere, quo major fuerit et adsit irritatio localis; cum membranis mucosis telam hanc membranaceam, si crassitiei, coloris, nexus cum partibus, quas investit, et fluidi, quod secernit, rationem habeas, analogiam quandam referre; hanc autem ab illis differre in eo, quod non, illarum adinstar, strato tenui epidermidis tegatur, et quod nullas cryptas mucosas in superficie sua exhibeat. Usus denique hujus membranae, secundum *Dupuytreni* sententiam, in eo consistit, ut a contactu fluidi, magis minusve irritantis, fistulam percurrentis, partes defendat, quae fistulae efficiunt parietes. — Ingeniosa certe Naturae interpretatio. — Haec membrana igitur, quae, si stimulos majores diutius experiatur, admodum crassa, dura et callosa nonnunquam observatur, quum exhalationis vel secretionis munere fungatur, atque secretione hac nec lympha coagulabilis, nec blan-

dum

dum ac balsamicum pus, verum mucus iners paretur, qui sanationis impedimentum in primis constituit, plura proposita sunt auxilia, quibus secretio illa impediretur, atque partes ad aliam et meliorem agendi rationem disponerentur. Inter haec auxilia primo loco pertinet compressio, quae in fistulis superficialibus, pressioni externae cedentibus, institui potest, frustra autem adhibetur in fistulis magis profundis, decursum verticalem habentibus, vel, sede sua in pectore aut abdomine, pressioni admittendae incongruis. Canalis fistulosi ab orificio, quo foras hiat, ad fundum usque transscissio, propter multiplices fistulae ramos, propter ejusdem situm, propter vasorum majorum praesentiam aliasque plures conditiones, saepe institui nequit: caeterum autem reliquis auxiliis praeferri meretur, quum, illa facta, cauterii aliorumque remediorum externorum usu sanatio citissime plerumque perfici possit. Altera, quae fistulis conciliatur, apertura multum quidem stagnantibus humoribus emittendis potest prodesse, sed nihil, quo fistulae parietum adhaesio obtineat, efficere valet. Hunc in finem autem variae injectiones, magis minusve stimulantes, institui solent, quibus nonnunquam ad consilium nobis propositum, ad inflammationem nimirum adhaesivam producendam, pervenimus; habent autem illud injectiones incommodum, quod saepe ad generandum debitum inflammationis gradum non satisfaciant, et quod, etiamsi satisfecerint, easdem tamen non constans semper excipiat fistularum sanatio, quippe quae tam laxe nonnunquam coaluerint, ut facillime iterum solvantur et secretionem

illam abnormem de novo instituant. Quum setacei, quod per fistulae canalem transmittitur, usus effectus saepius salutares praestare soleat; non mirandum est, quod Chirurgi etiam de fistularum deligatione cogitaverint. A *Celsi* itaque temporibus methodum hanc in ani fistulis adhibuerunt Chirurgi, non autem ejusdem usum in aliis fistulis, nullum cum corporis receptaculo quodam nexum habentibus, experti esse videntur, donec Cl. *Langenbeckius*, Chirurgiae Professor Gottingensis Celeberrimus, deligationem ad easdem sanandas commendaverit (i). Methodum hanc, quae cannula longiori, pro specillo inserviente et acum filis armatam, per integumenta communia, ad fundum fistulae, protrudendam, abscondente, facile in quovis fere fistularum genere adhiberi potest, nec in Germania, nec in Gallia, adhiberi solere, dolendum certe videtur, quum magna commoda, sine periculo plerumque obtinenda, et sanationem, citius perficiendam, polliceatur.

Paucis his de fistulis in universum disputatis, de nonnullis illarum seorsim agamus. Diximus jam antea, fistulas e multiplici causarum genere ortum suum habere posse, atque pro varia, causam constituente, conditione morbosa, sanationem faciliorem aut magis difficilem esse. Inter fistulas autem sanatu difficillimas pertinent illae, quae ex ossium carie aut necrosi originem suam habent, vel etiam in organi cujusdam excretorii, quales ductus na-

sa-

(i) Vid. Langenbeck, Von der Behandlung der Fistelgänge; in Viri Cl. Neue Chirurg. Biblioth. I. 2. pag. 315 seqq.

sales sunt, ductus salivales, urethra, anus etc., laesione aut conditione abnormi causam suam agnoscunt. Quum de fistulis nonnullis, ad ultimum hoc genus referendis, data opera dicturi simus, Capiti huic, ne de priori fistularum genere prorsus taceamus, finem imponere liceat, brevi communicanda observatione de fistulis, ex vertebrarum carie oriundis. Juvenis nimirum, quem in Nosocomio Dei observare licuit, in regione processuum spinosorum vertebrarum lumbalium, dolores sentiebat continuos et satis atroces, dum debilitas et atrophia extremitatum inferiorum observabantur, et mox levis vertebrarum in posteriora incurvatio ad dolores accedebat. Dolenti et aegrotanti loco moxa est imposita, atque dein ferrum candens eidem largiter est admotum. In meliori conditione, post operationem hanc institutam, versari videbatur aegrotus; mox autem revertebatur malum cum omnibus suis incommodis, dum fluctuatio, in partibus mollioribus percipienda, accedebat. Fluctuatio haec in lumbis primum manifesta, ad superiorem femoris partem se extendebat et sub ligamento *Poupartii* sentiebatur. Verisimiliter plurium corporum vertebrarum lumbalium caries locum habuit atque hac ipsae vertebrae destructae sunt, processibus spinosis relictis. Corpora, quae intacta manserunt, vertebrarum inferiorum et superiorum ad se invicem accesserunt; vertebrarum, carie destructarum, processus spinosi, verisimiliter hinc sibi imponebantur, in posteriora, corporis pressione, urgebantur, et hac ratione, secundum omnem veri speciem, cuphosin, quatenus locum habuit, forma-

 runt,

runt. — Similes casus, cum Parisiis tum Berolini etiam observatos, narrare possem: horum autem loco morbi historiam, a Cl. *Rustio*, Chirurgiae Professore Berolinensi, narratam, quae aptiorem forte non inveniet locum, observationi narratae apponere liceat. Est autem sequens. Tempore congressus plures Viennae erant archiatri regii, qui Nosocomium, cui *Rustius* praeerat, frequentare soliti, Virum Cl. quotidie rogabant, ut plures institueret operationes. In Nosocomio praeter alios aegrotos, cruentam operationem requirentes, Vir aderat, qui in femore, ad arteriae cruralis decursum, magnum referebat tumorem, ut videbatur, cysticum, capitis infantis magnitudine instructum, in cujus diagnosi omnes (inter alios *Zangius*, Vir Celeberrimus) conveniebant. *Rustius*, tumorem hunc exstirpaturus, per infortunium illum laedebat, dum mox magna puris copia effluebat. Vir Cl., de falsa diagnosi certior factus, mox totius abcessus dilatationem ad ligamentum Poupartii usque instituebat. Magna puris copia statim, et sequentibus etiam diebus, prodeunte, vertebra dimidia simul exibat: aegroto nunc demum narrante, se, ante quindecim annos, morbo vertebrarum laborasse. In simili casu, quem Vir Cl. Berolini, in Nosocomio Charitatis, observabat, *Rustii* discipulus, cui cura aegroti mandata erat, cum Viris Cll. *Mursinna* et *Kluge* conveniebat, statuendo, fluctuationem, quae ad superiorem femoris partem locum habebat, abcessum esse simplicem, a Psoitide factum. Dissentiebat *Rustius*, ex vertebrarum morbosa affectione abcessus originem explicans, atque

nunc

nunc aegrotus ipse narrabat, se ante aliquot annos affectionis illius incommoda expertum esse. Tales observationes certe docere videntur, vertebrarum cariem non e Psoae aliarumque partium suppuratione, qualis *Richteri* sententia fuit, secundarie ortum suum sumere, verum contrarium locum habere, i. e. abcessus lumbares plerumque in primariis vertebrarum morbis, inter quos caries earundem centralis principatum tenere videtur, causam suam agnoscere atque secundum hanc doctrinam sanari etiam debere.

Marvidès, *Mémoire sur les Fistules; dans les Prix de l'Academie royale de Chirurgie*, Tom. IV. Part. I., Paris 1778. pag. 19 seqq.

J. P. Pointe, *Dissertation sur les fistules en général*, Paris 1812. 4to.

J. N. Marjolin; *dans le Dictionnaire de Médecine en 18 voll.*, in v. *Fistule*. Tom. IX, Paris 1824. pag. 111 — 170.

DE FISTULA LACRIMALI.

Inter fistulas, quae in organi cujusdam excretorii conditione abnormi causam suam agnoscunt, primum locum tenet fistula lacrimalis, cujus morbi, *Celso* aliisque jam cogniti, sanationem, non nisi ferro candente, artis auxilio ad mitiorem Medicinam certe non referendo, antiquissimis temporibus perficere studuerunt Chirurgi. Quum autem ac-

curatiori morbi ipsius cognitione, deficiente Anatomes luce, ante seculum decimum sextum, destituti fuerint Chirurgi, non mirandum est, quod hi etiam, quamvis cujusvis fere methodi, postea ad fistulae lacrimalis sanationem propositae, jam aliquam apud Arabes mentionem inveniamus, non multum in ejusdem sanatione, ante tempus illud, praestare potuerint. A tempore igitur, quo in partibus, ad fistulae lacrimalis diagnosin et sanationem cognitu dignissimis, melius intelligendis, post *Andream Vesalium* et *Gabrielem Fallopium* (1), operam suam posuerunt *Morgagnius* (2), *Johannes Baptista Bianchi* (3) atque inter recentiores quam plurimi, majores quoque in fistulae lacrimalis sanatione progressus fieri coeperunt. Partium itaque, quae morbi causam aut sedem exhibere possunt, Anatome subtiliori nunc cognita, artis praecepta Chirurgo certe imponunt, ut, tumoris aut fistulae lacrimalis (qui uterque morbus idem esse et gradu tantum differre videtur) curam habiturus, sedulo primum inquirat, num a lacrimarum, an vero a puris vel muci copia accumulata ortus sit, et num causam suam agnoscat in glandula lacrimali ipsa, in caruncula, in punctis lacrimalibus, in sacco lacrimali, aut demum in ductu nasali. Quo examine non instituto, morbi indoles ac causa incognitae ma-

(1) Utrumque auctorem laudatum videas apud Sprengelium, Geschichte der Chirurgie. I Th., Halle 1805. p. 111 seq.

(2) Vidd. Adversar. Anatom. Fascic. I et VI.

(3) Vid. Diss. Epistolaris ad Josephum Lanzoni, de ductuum lacrymalium novorum anatome, usibus, morbis ac curationibus; in Mangeti Theatr. Anat. Tom. II. Libr. IV. Cap. 3. p. 351 seqq.

manebunt, et irrita saepe erunt quaevis perficiendae sanationis tentamina.

Tumoris et fistulae lacrimalis sanatio duplici, in universum, ratione perficitur; vel nimirum remediis externis therapeuticis instituitur, vel ad eandem perficiendam auxilia Chirurgica, quae strictiori sensu dicuntur, in usum vocantur. Quum enim e sacci lacrimalis et ductus nasalis inflammatione, sive haec acuta, sive, quod saepius obtinet, chronica sit, originem potissimum morbus habere videatur, quumque inflammatio oculi antiphlogisticis et resolventibus remediis, purgantibus praeterea, Vesicatoriis, Setaceis, Unguento Stibiato etc. nuchae impositis, feliciter plerumque sanari possit, atque non magna denique differentia esse videatur inter harum partium et oculi ipsius inflammationem, Cl. *Lisfranc* statuit, operationem saepius evitari posse, atque haec remedia prius semper in usum vocanda esse, antequam illa instituatur. Quemadmodum ad auctoritatem Cl. *Louis*, qui hoc modo fistulae lacrimalis sanationem nonnunquam perfecit, provocare possemus, ita duplicem etiam afferre possumus observationem, quarum utraque methodi hujus efficaciam probat. Nosocomium, quod a Misericordia nomen habet, Vir quidam adultae aetatis intraverat, pro sacci lacrimalis tumore, quem satis diu habuerat, artis auxilia implorans: tempore, quo a Nosocomii Chirurgis examinabatur, aegrotus de angina valde molesta querebatur, cujus praesentis causa operatio in aliud tempus differebatur; terminatur autem angina per abcessum, ad exteriora

factum, et, hac sanata, tumor lacrimalis disparuit. Matrona nobilis, utriusque oculi tumorem lacrimalem referens, Clarissimum *Lisfranc*, sanationis impetrandae causa, adibat; hic autem, oculorum inflammatione praesente, quae utrum primaria an secundaria fuerit nescio, operationem instituere nolebat: fecit Vir Cl. Venae Sectionem, applicavit hirudines, pedum balnea praescripsit, quae autem omnia irrita erant, Ophthalmia persistente: Vesicatoria, nuchae primum imposita, nunc ad tempora applicantur, et, post aliquot dies, nulla superest inflammatio, dum simul ad utrumque oculum nullus percipitur sacci lacrimalis tumor. Utraque haec observatio medicamentorum derivantium et antiphlogisticorum usum in morbis his probare videtur, dum docent illae, stimulo abnormi sublato, effectum saepius tolli, i. e. tumorem et fistulam lacrimalem sanari. Propterea etiam Decoctorum emollientium vapores, per canalem in nares immissi, prodesse posse videntur: quae methodus, a Cl. *Louis*, ni fallar, proposita, in tumore incipiente, in primis si dispositio scrophulosa adsit, commendanda videtur. Eodem modo, ipsius tumoris lacrimalis frictiones, cum linimento quodam, resolutionem et vasorum lymphaticorum actionem promovente, instituendae, si cum internorum remediorum usu conjungantur, sanationem perficere possunt: sic v. c. Cl. *Marjolin*, cum optimo eventu, se usum fuisse dicebat linimento, e quatuor partibus Cerati simplicis et una parte Mercurii dulcis composito, dum Cl. *Richerand* narrabat, se plurium, in Nosocomio St. Louis, morbis cutaneis,

scro-

scrophulosis etc. ditissimo, infantum curam habuisse, in quibus, post remediorum, quae in his morbis adhibentur, internorum usum, fistulae lacrimalis sanatio, sine aliquo auxilio Chirurgico, locum habebat. Liceat autem in memoriam revocare, quae *Richterus* Vir Celeberrimus, jam ante triginta, et quod excurrit, annos, de hac fistulae lacrimali (*metastaticae Richtero* et *Callisenio* dictae) medendi ratione, in scriptis suis, notavit.

Quum fistulae lacrimales, quae plerumque simplices sunt, quamvis etiam plures in exteriora possint hiare, modo rectum decursum habeant, modo oblique vel flexuose decurrant, quum causae earundem multiplices esse, et in diversa parte sedem habere, possint, atque quum praeterea de varia conformatione ossium, sacco vicinorum, de varia ductus nasalis conformatione et de variis conditionibus pathologicis, quae in sacco lacrimali et ductu nasali obtinere possint, plura, nondum satis investigata, supersint, facile confici potest, varias operationum, jam a longo inde tempore propositarum, methodos difficultatem quandam habere posse atque scopo suo non semper satisfacere: ab altera autem parte, vix aliquam earundem commendatam esse, quae non aliquando usum suum habere possit.

Fistula lacrimalis Parisiis morbus frequentior esse videtur, quum frequentissime in Nosocomiis atque in Polyclinicis easdem observaverimus. Quum autem morbus per se, in singulis aegrotis, quamvis vario gradu et e varia causa possit adesse, sibi maxime similis esse soleat, ipsas morborum historias,

Pa-

Parisiis de fistula lacrimali factas, non narrabimus, verum potius indicare conabimur Celeberrimorum Chirurgorum Parisiensium, in sanando hoc morbo, Chirurgicas agendi rationes, e quibus conficiatur, quid de cujusvis methodi, quam sequuntur, dignitate censendum sit.

Fistulae lacrimali per compressionem medendi methodus, cujus aliquam jam mentionem inter Arabes fecerunt *Rhazes* atque *Avenzoar* (1), plures, omni fere tempore, asseclas habuit, *Fabricium ab Aquapendente* (2), *Laurentium Verducium* (3), *Petrum Dionisium* (4), alios. Methodus haec, quamvis eandem faciliorem et aptiorem reddiderit *Johannes Ludovicus Petitus* (5), praeter alia, hoc habet incommodum, quod compressione continua, quocumque etiam modo aut quanam in directione instituatur, sacci lacrimalis parietes ad se invicem accedere debeant, atque ita facile concrescere et lacrimarum receptaculum penitus obliterare possint. Hanc methodum, in Gallia propterea fere neglectam, Cl. *Boyerius*, Nosocomii Charitatis Chirurgus Celeberrimus, in usum non-

(1) Vid. Haller, Bibliothec. Chirurg. Tom. I, Bernae 1774. pag. 128 et 136.

(2) Vid. Operum Chirurgicor, in duas partes divisorum, Parisiis 1613. fol. Part. I. (De Operationibus Chirurgicis) Cap. 28.

(3) Vid. La manière de guérir par le moyen de bandages, Paris 1685. 12mo.

(4) Vid. Cours d'opérations de Chirurgie etc. par Mr. Dionis, 4me édit. par G. de la Faye etc., Paris 1740. 8vo. pag. 567 seq.

(5) Vid. Traité des maladies chirurgicales. Tom. I. pag. 364. Tab. LXXVIII. fig. 3 et 4.

nonnunquam vocare solet, non ut eadem omnem tumoris aut fistulae lacrimalis sanationem perficiat, sed ut huic, causa morbi, i. e. canalis nasalis obstructione, sublata, sed tumore, sacci lacrimalis parietibus maxime relaxatis, nondum cessante, auxilietur.

A tempore, quo *Anelius* (1), specillo, per puncta lacrimalia ad cavum narium usque inducto, et injectionibus, peculiari syringa factis (2), obstructiones, lacrimarum per ductum nasalem defluxum impedientes, tollere annisus est, plures, praecedenti seculo, in Gallia Chirurgi, vel in methodo hac emendanda (3), vel in novis, ejusdem loco, proponendis, operam suam posuerunt atque industriam, *Lamorier*, *Guerin*, *St. Yves*, *Le Dran*, *La Forest*, *Méjan*, *Pouteau*, *Cabanis*, *Louis*, *Desault* aliique Chirurgi Expertissimi. De singulis, quas auctores hi proposuerunt, methodis si vel verbulum tantum dicere, aut si easdem cum iis, quae de his in Anglia, Germania et Hollandia facta sunt, quam brevissime comparare vellemus, parva haecce Diatribe in nimium volumen excresceret: quapropter de recentissimis in Gallia inven-

(1) Vid. Anel, Nouvelle méthode de guérir la fistule lacrymale, ou Recueil de différentes pièces pour et contre et en faveur de la même methode nouvellement inventée, Turin 1713. Anel, Sur la nouvelle découverte de l'hydropisie du conduit lacrymal, Paris 1716.

(2) Instrumenta haec, praeter Anelium, in scriptis suis depingi curarunt Heisterus, Garengeotus, alii.

(3) De Anelianae methodi incommodis, prae aliis videas Sharp, Treatise on the operations of Surgery, London 1747. pag. 143 seqq.

ventis, ad operationem hanc pertinentibus, dicere tantum liceat. Methodum autem, quae a *Dupuytreno* in usum vocatur, descripturis, non incongruum nobis videtur, si pauca de inventionis, quae Viro Cl. tribui solet, historia praemoneamus. A *Johannis Ludovici Petiti* meritis igitur incipiendum videtur, quippe qui, post *Georgium Ernestum Stahlium* (1), primus iterum fuerit, qui integumentorum sacci lacrimalis incisionem, a superiori et anteriori faciendam, instituerit atque commendaverit. *Petiti* methodum, ab ipso etiam auctore indicatam (2), in paucis mutatam, sequenti modo descripserunt Viri Doctissimi *Bégin* et *Sanson* (3): palpebris clausis et ab exteriori et interiori tensis, ita ut tendo musculi orbicularis melius in conspectum prodeat, index manus dextrae, ab exteriori ad interiora, supra marginem orbitae inferiorem movetur, ita ut Chirurgus de loco, quo os maxillare in interno orbitae angulo maxime prominet, certior evadat. Orificio superiori canalis nasalis ibi invento, Chirurgus cultro Chirurgico rectiori (bistouri droit à lame étroite), cujus dorsum nares respicit, quodque capitis axi parallelum tenetur, sacci lacrimalis integumenta perforat et e resistentiae defectu sentit, se canalem nasalem in-

(1.) Vid. Viri Cl. Propempticon inaugurale de fistula lacrimali, ad calcem Dissertationis de affectibus oculorum in genere, Halae 1702. 4to.

(2) Vid. l. c. Tom. I. pag. 304 seq.

(3) Vid. Médecine Opératoire de Sabatier, Paris 1822—1824. IV voll. 8vo.

intrasse. Cultro parum in exteriora verso, juxta ejusdem dorsum parvum specillum sulcatum, cujus apex globulo instructus est (boutonné), in ductum nasalem immittitur, et in eo movetur, ut sensim quaevis impedimenta removeat, dum cultrum, quo vulnus factum est, retrahitur. Specillo hoc sulcato conductore, alterum specillum argenteum, gracile, flexile, fenestratum et filo, cera non obducto, instructum, in canalem nasalem immitti potest, dum ejus descensus ac transitus, specilli sulcati et forcipis (1), per nares externas immissorum, auxilio, facilitari potest. — Postquam haec Petitiana saccum lacrimalem cultro Chirurgico aperiendi methodus in Gallia innotuerat, Chirurgi eadem uti coeperunt, atque vel filo, specilli auxilio, per saccum lacrimalem, ductum nasalem et nares externas transmisso, plumaceolam, e linteo carpto factam, et saepius facile renovandam, in ductum nasalem trahebant atque hunc, lintei immissi volumine sensim majori facto, dilatabant, vel etiam specillum quoddam argenteum aut plumbeum, per tempus aliquod, in ductu nasali relinquebant, vel demum etiam cannulis, specilli conductorii auxilio, per vulnus externum in ductum nasalem immittendis, utebantur, quibus viam liberiorem lacrimarum defluxui conciliarent.

Ultima hac methodo primus usus videtur *Wathenius* (2), qui cannulis suis aureis quamcumque

se

(1) Ingeniose hunc in finem a Cabanisio inventae, forcipis (les Palettes de C.) delineationem videas, in Mémoires de l'Academ. Royal. de Chirurgie, Tom. II. Pl. XIV. fig. 2.

(2) Vid. Jonahan Wathen, A new and easy method of ap-

se fistulam lacrimalem facile sanare potuisse perhibet. Posteà eandem in Anglia adhibuerunt *Bellius* (1) et *Pottius* (2); in Gallia autem *Foubertus* atque *Pellier de Quengsy* (3). Quamvis itaque *Dupuytreni* methodus, quam paulo accuratius indicare conabimur, non penitus nova haberi mereatur, nullum tamen dubium, quin eandem, consilio, quo instituitur, magis convenientem reddiderit Vir Clarissimus. Quum nimirum tumoris et fistulae lacrimalis causa in membranae mucosae, ductum nasalem investientis, organica structura mutata et abnormi agendi ratione, atque in, hinc oriundis, canalis hujus capacitatis imminutione ac constrictione quam plurimum consistat; quumque his causis lacrimarum, quae facile etiam in sacco lacrimali, stimulum morbosum experto, indole sua mutantur, per nares defluxus penitus impediatur, Cl. *Dupuytrenus* cannulae aureae vel argenteae usu duplici Indicationi satisfacere studuit, impedimentorum nimirum quorumcumque remotioni atque membranae mucosae, quae ductum nasalem investit, turgentis et lacrimis ipsis irritatae, compressioni. Requiruntur ad hanc operationem cul-

plying a tube for the cure of the fistula lacrymalis, London 1781. 4to.

J. Wathen, A new and easy method of curing the fistula lacrymalis. The second edition, with considerable improvements, London 1792.

(1) Vid. System of Surgery. Vol. III. Edinburgh. 1789. pag. 494 seqq.

(2) Chirurgical Works, London 1790. vol. I. pag. 286 seqq.

(3) Vid. Recueil de Mémoires et d'observations sur les maladies de l'oeil, Montpellier 1783. 8vo. —— Précis ou Cours d'opérations sur la Chirurgie des yeux, Paris 1789. 2 voll. 8vo.

cultrum chirurgicum rectum, lamina tenuiori instructum, specillum conductorium et cannula aurea sive argentea, figuram conicam habens, levem ductus nasalis curvaturam referens, et extremo capitato, quod tamen pervium esse debet, instructa (1). Ut superius ductus nasalis orificium inveniat, Cl. *Dupuytrenus* ad processum nasalem maxillae superioris attendere tantum solet, quum tendo musculi orbicularis in insertione sua varietates possit offerre, quarum rationem a Cl. *Lisfranc* explicatam audivi. In hominibus nimirum, quorum ossa nasi basi latiori instructa sunt, angulus palpebrarum internus processui maxillae superioris nasali incumbit atque tendo itaque huic processui tantum inseritur; frustra itaque in tali casu orificium ductus nasalis superius mox infra tendinis insertionem quaereretur. Contra, si ossa nasi minorem latitudinem referunt, musculi orbicularis tendo pone partem maxime prominentem processus maxillaris plerumque inseritur, dum orificium ductus nasalis non sub eodem, sed ad internam ejusdem partem, invenitur. — De orificio igitur superiori ductus nasalis certior factus, cultro Chirurgico sacci lacrimalis integumenta, uti antea hoc explicavimus, perforat *Dupuytrenus*, dum cultri apicem in ductum nasalem immittit. Cultro loco suo relicto, sinistrae manus digitis tenendo, juxta ejusdem

(1) Accuratiorem descriptionem videas apud Sabatierium, in Médecine Opératoire, edit. laud. Vol. II. pag. 252. et in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. XIV Bd. I. Hft., Berlin 1823.

dem laminam anteriorem cannula argentea (in Polyclinico, aurea, ut intelligitur, non utebatur *Dupuytrenus*), quae cum specillo conductorio, quod continet, simul inter digitum indicem et pollicem tenetur, cultri manubrio parum elevato, in canalem nasalem intruditur, ita ut convexa parum cannulae superficies septum narium respiciat, quibus factis, specillum conductorium per eandem viam retrahitur, dum manus sinistrae digitus, ne cannula iterum adscendat, ejusdem parti capitatae imponitur. Ipsa autem cannulae pars capitata in sacco lacrimali absconditur, ita ut hujus, quod in anteriori ejus pariete factum erat, vulnus supra eandem consolidari possit. Ut autem *Dupuytrenus* sciat, num, cannula ductui nasali immissa, communicatio inter saccum lacrimalem et nares externas sit restituta, aegrotorum nares et os claudere solet, dum eosdem fortem exspirationem instituere jubet: aëris et aliquot sanguinis guttarum e vulnusculo protrusio indicium est, obstacula superata et canalem liberum esse.

Haec *Dupuytreni* methodus simplicitate et facilitate, qua instituitur, Chirurgis sese commendat, dum aegrotis propterea potissimum placere solet, quod, brevi post peractam operationem tempore, ad solitos suos labores possint revertere, quum vulnusculum, sacco lacrimali inflictum, viginti quatuor horarum tempore sanari soleat. Ipsius *Dupuytreni* praeterea novem annorum experientia, atque illa aliorum in Gallia Chirurgorum, docuisse videntur, methodum hanc felicissima plerumque sanatione comprobari, dum inter viginti ejusmodi ae-

aegrotos sedecim ita curantur, ut cannula immobilis in ductu nasali, per plures annos saepe, remaneat, duo cannulae in nares descensum aut in saccum lacrimalem reditum experiantur, duo denique doloribus, symptomatibus inflammatoriis, Erysipelate aliisve morbis afficiantur. Atque vel *Dupuytrenus* ipse, inter viginti novendecim, cannulae usu, a fistula lacrimali sanari, testatus est (1). Quod autem ad incommoda attinet, quae, quamvis rarissime, post factam operationem oriuntur, his facile mederi potest Chirurgus. Si enim cannula in saccum lacrimalem iterum adscendit et per hujus vulnus excidit, facile iterum, quamdiu vulnusculum nondum consolidatum est, de novo in ductum nasalem immitti potest. Si autem cannulae per nares externas descensus obtineat, atque haec per has elabatur, quod non, nisi aliquo post peractam operationem tempore elapso (membranae mucosae turgore et tumore cessantibus), locum habere solet, plerumque sanatio nihilominus jam facta est, quum cannula impedimenta removerit et membranam mucosam tumentem compresserit. Reliquis autem conditionibus, ut Erysipelate v. c. faciei sympathico, praesentibus, cannula facile, novo sacci lacrimalis vulnusculo facto, specilli conductorii auxilio, retrahi, et, si hoc necessarium sit, post aliquod tempus, in ductum nasalem immitti iterum potest. Quum autem cannulae retractio, simplici specillo instituenda, difficultatem possit habere, Chi-

(1) Vid. Ratier, Formulaire pratique des hôpitaux etc. pag. XXVIII.

Chirurgus Parisiensis peculiare hunc in finem specillum conductorium invenit, e duplici elatere, qui sibi apprimi potest, et in extrema parte globulo, ad partem exteriorem, instructus est, compositum. Utraque hujus specilli lamina elastica, sibi appressa, in cannulam, per superiora retrahendam, immittitur, donec globuli, qui ad earundem inferiorem partem inveniuntur, infra marginem cannulae inferiorem pervenerint, quibus factis uterque elater versus exteriora resilit et cannula nunc, globulis sustentata, facile retrahi potest. Simpliciori encheiresi Cl. *Graefius* Berolini utebatur; quaevis nimirum cannula, ad fistulae lacrimalis sanationem adhibenda, ab interiori parte cochleata erat, dum specilla conductoria ipsa cochlea quoque instruxerat Vir Clarissimus, ita ut horum auxilio illa semper, in casu urgente, per saccum lacrimalem extrahi posset.

Verum haec de *Dupuytreni* methodo dicta sufficiant. Quamvis plura de ejusdem praestantia dixerimus, vix tamen opus erit, ut moneamus, quod non in omnibus ac singulis fistulis lacrimalibus tuto haec methodus adhiberi possit, quum certe, si morbus ex ossium carie, e ductus nasalis vel sacci lacrimalis carcinomate, similibusque conditionibus ortus sit, nocere semper maxime debeat cannulae usus.

Dupuytreni agendi rationem quamvis plerique sequi soleant Chirurgi Parisienses ac Lugdunenses, sunt tamen, qui aliam methodum praeferant. Inter alios Viri Cll. *Dubois* et *Roux*, pater et filius, Nosocomii Charitatis curam habentes, methodum

dum, qua usi sunt *Pallucci* (1) atque *Richterus* (2), adhibere solebant, i. e. obstructione ductus nasalis, specilli auxilio, si fieri posset, sublata, chordam intestinalem, saepius renovandam, in ductum nasalem immittebant atque hunc, chorda intestinali sensim crassiori sumta, dilatare studebant. Eundem in finem, nonnunquam etiam, secundum methodum, quam Doct. *Ware*, Anglus, commendavit (3), clavo plumbeo utitur uterque Vir Clarissimus, quam agendi rationem sequebatur etiam Cl. *Beclardus*. Cum horum itaque Virorum Cll. agendi ratione illa Chirurgorum in Germania Celeberrimorum, in universum, convenire videtur. Hi quippe cannulae usum non rejiciunt, sed in ea opinione versantur, quod haec tuto adhiberi nequeat, nisi antea viarum dilatatio, chordae intestinalis, setacei aliusve corporis auxilio, instituta sit.

Ossis unguis perforationem, quam praeter alios commendavit Cl. *Scarpa*, nunquam in Gallia institutam vidimus: Cl. *Dupuytrenus* autem illam suadet, si ductus nasalis plena obliteratio adsit, aut

(1) Vid. Methodus curandae fistulae lacrymalis, Vindob. 1762. pag. 79 seqq.

(2) Vidd. Commentat. Societatis Regiae Scientiarum, Gotting. 1778. Vol. I. pag. 190 seqq. Anfangsgründe der Wundarzneykunst, Göttingen 1786. Tom. III. Medicinische-Chirurgische Bemerkungen, Göttingen 1794.

(3) Vid. James Ware, Remarks on the fistula lachrymalis, with an description of an operation, considerably different from that commonly used, and cases annexed in proof of its utility; to which are added Observations etc., London 1798. 8vo. cum 2 Tabb.

aut si ductus ipse plane deficiat, quem utrumque casum se observasse testatur. Morbosa tali conditione locum habente, aut ossium nasi fractura, exostosibus etc., lacrimarum defluxum impedientibus, in anteriori sacci lacrimalis pariete incisio transversa (Cl. *Dupuytreni* methodus in nullis ab illa, quam Illustr. *Scarpa* commendavit, recedit), aliquot linearum longitudinem habens, solito cultro instituitur, atque vulnusculum per aliquod tempus, quadraginta octo ut plurimum horas, linteo carpto impletur. Linteo hocce retracto, cannula argentea, per vulnus immissa, ossi unguis imponitur, atque hoc cauterio actuali, cannula conductore, cum membranis suis mucosis in directione obliqua destruitur. Hac itaque ratione via artificialis lacrimis conciliatur, vel fistula interna externae substituitur. *Dupuytrenus* autem praeterea cannulam argenteam minorem, ab utraque parte capitatam, ita in viam hanc artificialem immittit, ut pars media ab ossibus, utrumque autem extremum capitatum a binis membranis mucosis, retineatur. — Quum autem plures et Chirurgi et aegroti ferri candentis usum, in operationibus ophthalmiatricis, metuant, non mirum est, quod Chirurgi etiam Parisienses inveniantur, qui, ad ossis unguis partialem destructionem faciendam, *acus Pottianae* vel *perforatorii Hunteriani* (emporte-pièce) usum praeferant. Ingeniose autem hunc in finem excogitatum, instrumentum peculiare, ante aliquot annos, descripsit Doct. *Talrich* (1), cu-

(1) Vid. J. Talrich, Description du perforateur lacrymal, instru-

cujus usu tamen nondum experimenta ab aliis facta videntur.

Petit, *Mémoire sur la fistule lacrymale; dans les Mémoires de l'Academie Royale des Sçiences de Paris*, Année 1734.

Bordenave, *Examen des Réflexions critiques de* M. Molinelli, *inserées dans les Mémoires de l'Institut de Bologne, contre le Mémoire de* M. Petit, *sur la fistule lacrimale etc.; dans les Mémoires de l'Academie Royale de Chirurgie, Tom. II*, Paris 1753. pag. 161 seqq.

De la Forest, *Nouvelle méthode de traiter les maladies du sac lacrymal, nommées communement fistules lacrymales; dans les Mémoires de l'Acad. Royale de Chirurgie*, l. l. pag. 175 seqq.

Louis, *Réflexions sur l'Opération de la Fistule lacrymale: Mém. de l'Academie de Chirurgie*, l. l. pag. 193 seqq.

Le Preux, *An, impeditis lacrymarum viis, parari debeat lacrymis artificiale iter in cavum, quod juxta majorem oculi canthum inter superficiem internam palpebrae et oculi globum deprehendatur*, Parisiis 1765.

Four-

strument propre à la guérison de la tumeur et de la fistule lacrymales etc.: dans le Journ. Complém. du Dict. des Sc. Médic. Cah. 58, Avril. 1822. Tom. XV. pag. 135 seqq.

Fournier, *De l'appareil des voies lacrymales*, Montpellier 1803.

P. A. Dubois, *Quaenam, in curanda Fistula lacrymali, praestantior methodus?* Parisiis 1824. 4to. cum. Tab. I.

Harveng, *Mémoire sur l'opération de fistule lacrymale, et description d'une nouvelle méthode opératoire*, Paris 1824. 8vo. avec 1 Pl.

DE FISTULA ANI.

Fistula ani, quum ex omni abcessuum genere, sive hi idiopathici, symptomatici aut critici sint, originem suam habere possit, quumque ad illos, in intestini recti regione tela cellulosa et adiposa uberius praesente atque venis numerosissimis flexuosum decursum habentibus, dispositio quaedam naturalis adesse videatur, facile evolvenda, si haemorrhoides, alvus tarda, Dyscrasiae, corpora aliena etc. accedunt, inter morbos corporis humani non infrequentes et simul molestissimos pertinet. Fistularum ani in *completas*, in *incompletas externas* atque in *incompletas internas* divisio, quum morbos maxime a se invicem discrepantes conjungat, et contra similes sibi disjungat, parum philosophica nobis videtur: rectius enim fistulae ani in *anomalas* (incompletas externas) atque *stercorales* possunt dispesci, dum hae iterum in *completas* atque in *incompletas* sive *coecas* (borgnes internes) dividi possunt, quum hac ratione fistulae, cum ipsius intestini recti laesio-

sione conjunctae, ab illis, in quibus intestinum intactum est, penitus separentur.

Anatome pathologica, uti ad alia gravissima Chirurgiae Capita, ita etiam ad fistularum ani doctrinam illustrandam et melius ac verius intelligendam multa contulisse censenda est. Fistulae nimirum *anomalae*, sive *incompletae externae*, quae a pluribus auctoribus penitus negari solebant (1), multiplici cadaverum sectione ita probatae sunt, ut de illarum existentia nullum hodie dubium superesse videatur. Anatomes pathologicae praeterea, a *Larreyo* aliisque diligentius investigatae, auxilio, de orificio fistularum stercoralium interno accuratius constitit, dum ejus sedes magis determinata est, sine qua cognita quaevis fere ad sanationem perficiendam auxilia frustra instituerentur. Orificium quippe fistularum ani internum immediate nonnunquam supra locum invenitur, in quo membrana intestini recti interna cum cute conjungitur, vel, aliis verbis, in parte intestini recti extrema, in qua cutis, membranam intestino mucosam praebiturae, epidermis subsistit. Saepius autem orificium illud situm paulo altiorem habet: rarissime ad majorem, quam ad decem aut duodecim linearum, a loco illo distantiam, fistulae foramen in intestino recto invenitur, quemadmodum hoc e septua-

(1) Vid. v. c. Foubert, dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurg. Tom. III. pag. 477 seq.: cujus auctoris sententiam, inter nunc viventes Chirurgos Parisienses, amplecti videtur Larreyus, qui fistulas ani quascumque, si illas, quae a causa mechanica fiunt, aut ex ulcere syphilitico quandoque oriuntur, excipias, ab interiori ad exteriora formari, statuit.

tuaginta quinque cadaverum, fistulas ani stercorales exhibentium, sectionibus, per viginti quinque annos institutis, constitit, in quibus quippe orificium fistularum internum nunquam situm altiorem referebat, dum in plerisque non nisi quatuor aut quinque lineas a margine ani distabat, id est mox supra sphincterem ejusdem internum inveniebatur. Docuit etiam cadaverum sectio, fistulas ipsas investiri membrana tenui glabra, nullos villos exhibente, caeterum autem structuram membranarum mucosarum referente, ex inflammatione chronica originem suam habente, ad glutinationem ineundam minus idonea. Cadaverum autopsia demum de fistularum stercoralium decursu constitit. Fistula nempe nonnumquam, dum in intestino recto originem suam habuit, inter ejusdem membranam mucosam et sphincterem internum descendit, dein sese deflectit, atque, inter sphincterem externum et cutim decurrens, in loco, margini ani vicino, foras prodit: in aliis fistula fibras sphincteris interni decussatim perforat et partem superiorem sphincteris externi petit: in aliis alio iterum modo decurrit. Denique constare videtur, quod fistulae stercorales in venis haemorrhoidalibus plerumque situm suum agnoscant: quae observatio sane ad morbi Aetiologiam melius intelligendam multa tribuere videtur. Has, quas accuratiori Anatomes pathologicae, a Chirurgis in Gallia potissimum facto, scrutinio debemus, observationes quando cum antiquiorum, de fistulis ani, doctrina comparemus, optime intelligimus, quaenam recentiorum de hoc morbo cognoscendo et sanando sint merita.

Si

Si de fistularum ani diagnosi, de symptomatibus, cuivis earundem speciei propriis, atque de varia exploratione, quam Chirurgi ad easdem dignoscendas instituere solent, dicere vellemus, Lectorum, si qui futuri sint, patientia abuteremur, quare de earundem sanatione et doctrina, quae Chirurgis in Gallia potissimum de hac peculiaris videtur, nonnulla dixisse sufficiat.

Inter methodos, quibus fistulae ani mederi solebant Chirurgi, obsoletas, vel saltem non, nisi peculiaris Indicatio adsit, in usum vocari solitas, referri merentur *injectio*, *compressio*, *cauterisatio*, atque *excisio* vel exstirpatio, quae quippe locum fecerint *incisioni* atque *deligationi*, quae utraque encheiresis ubivis fere a Chirurgis institui solet.

Si artis historiam consulamus, fistularum ani incisionem non tantum in spurio *Hippocratico* Libro (1), apud *Celsum* (2), atque *Galenum* (3), de-

(1) Haec scripsi auctoritate Sprengelii (Geschichte der Chirurgie. I Th. pag. 343.), ad Hippocratis verba (Vid. Lib. de Fistulis, version. Foësianae Sect. VI. (Francofurt. 1595) pag. 163.) provocantis: „Quodsi fistula minime exesa fuerit, demisso ante spe„cillo, ferro, quoad penetravit, aperienda, et aeris flore resper„genda, et per dies quinque sinenda." Hippocratem his verbis de fistulis locutum fuisse anomalis seu incompletis externis, satis clarum esse videtur; dubitare autem licet, num in iisdem incisionem, proprie dictam, commendarit Hippocrates, dum verba sequuntur: „Atque ubi aeris flos deciderit et fistulae ulcus purum fuerit, ea„dem, quae prius, curatio adhibenda." Quum autem haec, antea commendata, curatio in deligatione consistat, hanc etiam hoc loco commendare videtur. Sed ab altera parte difficultatem movent ultima, quae in contextu sequuntur, verba: „Verum non nisi sec„tione sanescit." Nisi hac sectione simplicem intelligere velis orificii externi dilatationem. (2) Vid. Libr. VII. cap. 4.

(3) Method. Medendi Libr. VI. Cap. 4.

descriptam esse, verum eandem etiam, antiquissimis temporibus, jam in usum vocatam fuisse, a *Sprengelio* aliisque docemur. Postea autem methodo hac, cujus apud Arabes et medii aevi Chirurgos neglectum illorum mollitiei et, effaeminati quid redolenti, timiditati, horum autem in Anatomicis ignorantiae et a cultri Chirurgici usu horrori, tribuas, parcius uti solitos esse Chirurgos, ejusdem historiae testimonium docere videtur. Ut autem Chirurgorum in Gallia de hac methodo merita intelligi possint, a patria potissimum nostra incipiendum esse videtur. Primus nimirum, qui, seculi decimi septimi initio, fistularum ani incisionis methodum paulo accuratius docuerit, *Johannes Scultetus* (1) fuisse videtur: hunc autem *Adriani Spigelii*, e Belgio oriundi, atque Medicinam in Academia Paduana docentis, discipulum fuisse constat, dum eundem ab hoc methodum hanc didicisse, probabile satis videtur. Praeterea incisionis methodum, in patria nostra, paulo post adhibuerunt, eamque in scriptis suis commendarunt, *Jobus a Meekren* (2) et *Cornelius van Solingen* (3). In Gallia autem, seculo demum decimo septimo, ferrea Chirurgiae Gallorum aetate, ad finem vergente, fistularum ani incisionis methodus, secundum Artis praecepta, fieri coepit. Postquam

(1) Armamentar. Chirurgic. Tab. XLV. pag. 108.

(2) Vidd. Observat. Medico-Chirurgicae, curante A. Blasio, Amstel. 1682. 8vo. pag. 277 seqq.

(3) Manuale Operatien der Chirurgie etc., Amsterd. 1684. 4to. pag. 224.

quam nimirum, Regem *Ludovicum XIV*, post fistulae ani, cujus incommoda diu expertus erat, sectionem, a *Carolo Francisco Felice*, Chirurgo Expertissimo, factam, sanatum esse constabat, *Petrus Dionisius* (1), *Johannes Ludovicus Petitus* (2), *Henricus Franciscus Le Dranius* (3), *Fagetus* (4) aliique Chirurgi Doctissimi methodum hanc non tantum commendarunt, sed perfectiorem etiam reddere studuerunt. Verum ad tempora recentiora pergamus. — Quemadmodum in Germania, quamvis Doct. *Reisinger* (5) deligationem iterum commendaverit, hac frequentius fieri solet fistularum ani incisio, ita in Gallia quoque incisionem deligationi praeferunt plerumque Chirurgi. In eadem facienda Parisienses Chirurgi plerique methodum Desaltianam sequi videntur. Sunt tamen, qui peculiari in his utantur agendi ratione, vel saltem instrumenta adhibeant, a solitis, conformatione sua, quodammodo diversa. Prae caeteris autem simplicitate et facili usu commendare sese videbatur *Larreyi* methodus, quam breviter indicare liceat. Ratio, qua fiat, ut fistulae ani incisio, si mo-

(1) Cours d'Opérations de Chirurgie; 4me édit. par G. de la Faye, Paris 1740. pag. 412 seqq.

(2) Vid. Traité des maladies Chirurgicales etc. l. l. Vol. II. pag. 165 seq.

(3) Vid. Traité des Opérations de Chirurgie etc. pag. 144. seq.

(4) Vidd. Mémoires de l'Acad. Royal. de Chirurgie etc. l. laudando.

(5) Vid. Darstellung eines neuen Verfahrens die Mastdarmfistel zu unterbinden, Augsburg 1816.

modo multis usitato instituatur, successu saepius careat, quum, secundum *Larreyi* sententiam, in eo quaerenda sit, quod specillum sulcatum, quod per fistulam exteriorem immittitur, per, tenuiores factos, intestini recti parietes quidem, non autem per ipsum orificium fistulae internum, in eodem inveniendum, protrudatur, atque hoc orificium itaque incisione, quae instituitur, necessariam sectionem aut cruentationem non experiatur, Vir Clarissimus specillo sulcato uti solet, quod apto manubrio et ad apicem nodulo instructum est, dum, a parte sua sulcata concavum, incurvationem, si requiritur, majorem admittit. Antequam hoc specillum in usum vocetur, conductor ligneus vel eburneus, qui, manubrio extrorsum inflexo, et, ad partem suam extremam vel anteriorem, sulco latiori vel cavo quodam, quod ubivis margine elevatiori cingitur, instructus est, ita, oleo imbutus in intestinum rectum immittitur, ut sulcus fistulam respiciat, atque ut, extremo rotundato armata, specilli sulcati pars a conductoris sulco, et dein a foramine, ad hujus finem inveniendo, excipi possit. Specilli sulcati flexilis extremo hac ratione, per orificium ani, ad exteriora ducto, cultri tenuis, recti et longioris auxilio, ad specilli sulcum, partium transscissio cito et tute institui potest. Nonnunquam hujus methodi usum, in Nosocomio cohortis praetoriae (hôpital de la garde royale), apud *Larreyum* ipsum, eandem instituentem, observare licuit.

Fistulae ani ligandae methodus (*ἀπολίνωσις*), a Me-

Medicinae patribus quoque jam indicata (1), in Gallia potissimum ab *Ambrosio Paraeo*, *a Fouberto* atque *Desaltio* in usum vocata est, dum fautores habuit, in Anglia *Wisemannum* aliosque, in Germania *Richterum*, *Schregerum* et *Reisingerum*, in patria nostra demum Celeberrimum *Camperum*. In Gallia si deligatio haec in usum vocetur, secundum *Desaltii* methodum, qui magna de eadem merita habuit, et agendi suam rationem perspicue explicavit, institui solet. Antea autem jam diximus, fistularum ani incisionem saepius, earundem autem deligationem, in Nosocomiis Parisiensibus, rarissime adhiberi. Quamvis enim deligatio timidiusculis magis placeat, aut nonnunquam etiam, propter vasa majora praesentia, aliasve conditiones, requiratur, in universum tamen, incisio, si fieri possit, praeferri meretur; tum, quia sanatio citius procedit, tum quia minores, operatione instituta, dolores inferre solet, quum aegroti, in quibus fistulae ani deligatio instituitur, saepe prae doloribus nec stare, neque erecto corpore ambulare, possint. Utraque autem methodus sua habet commoda atque incommoda, dum ad hujus illiusve usum peculiaris nonnunquom Indicatio adest (2).

Die

(1) Verba autem Celsi (Libr. VII. Cap. 4): „In has demisso specillo, ad ultimum ejus caput incidi cutis debet: dein novo foramine specillum educi, lino sequente, quod in aliam ejus partem, ob id ipsum perforatam, conjectum sit." ad fistulas ani anomalas potius, quam ad stercorales, referri debere videntur.

(2) Gallorum de his doctrina optime intelligi poterit ex iis, quae in

Die decimo sexto mensis Novembris (anni 1824), a Cl. *Dupuytreno*, cultri auxilio, factam, vidi fistulae ani operationem in viro atque in faemina. Ille puer erat atque primas fistulae molestias ante tres menses expertus erat: haec, faemina juvenis, jam per sex annos fistulam ani habuerat. In puero, sectione facta, corpus durius, antea exploratione jam manifestum, digitis sentiebatur, extrahi autem non potuit: secundum *Dupuytreni* sententiam, frustum osseum erat, quod deglutitum in intestini recti parietes sese deposuit et fistulae ani causa fuit (qualia exempla plura in Actis Academiae Parisiensis legi poterunt, uti etiam apud *Desaltium* aliosque), nunc autem propter concretionem firmiorem non extrahi potuit. Incisione, ad fistulam ani sanandam, in virgine instituenda, magna, antea non praesens, haemorrhoïdum copia inveniebatur, quae

in Desaltii Libro, cujus editionem curavit, dixit Bichatus: „La „ ligature convient chez les sujets habituellement exposés au devoie- „ ment; chez ceux, qui sont faibles, cacochimes, q'une longue „ suppuration épuiserait; chez ceux, qui se trouvent dans des endroits „ mal-sains, où les plaies les plus simples prennent souvent un mau- „ vais caractère; chez ceux, que leurs affaires empêchent de disposer „ de leur temps, qui, ne pouvant être souvent visités par leur Chi- „ rurgien, sont obligés de se panser eux mêmes; lorsqu'il se rencon- „ tre, dans les parties à diviser, quelques vaisseaux considérables; „ enfin, lorsque le malade a une horreur invincible pour l'instrument „ tranchant." (Si qui timidiusculi Chirurgiam fugiunt, Hippocratica uti debent deligatione. Paul. Aeginet. Libr. VI.).

„ L'incision est exclusivement indiquée dans les fistules compli- „ quées, ou viennent aboutir un grand nombre de clapiers, dans „ celles, où se rencontrent beaucoup de callosités, ou il existe une „ dénudation considérable, soit à la peau, soit à l'intestin."

quae autem, fistula profundiorem decursum habente, morbum non produxisse videbantur, quum fistulae quidem leves et superficiales, non autem adeo profundae, haemorrhoidibus, e *Dupuytreni* sententia, possint formari. — Die secundo mensis Februarii (anni 1825), in eodem Nosocomio (l'Hôtel-Dieu), adultae aetatis Virum vidimus, longiori corporis statura et pectore planiori instructum, qui, fistulae ani, qua laborabat, sanationis obtinendae causa, Nosocomium ingressus erat. Respiratio autem aegroto brevis erat, cum tussi frequenti et dolore in pectoris latere sinistro, caeterum autem sputa parciora tantum reddebat. Fistula propterea, quae modo pus, modo sanguinem, modo faeces praebebat, symptomatica esse, atque cum morbo Thoracis et universa corporis constitutione cohaerere videbatur. Nulla itaque fistulae operatio facta est, sed, majori sputorum quantitate prodeunte, cuivis brachio cauterium largius est impositum.

L. Lemonnier, *Traité de la fistule à l'anus, ou du fondement*, Paris 1789. 12. (*In quo opusculo fistulae ani operatio, quam* Ludovicus XIV *sustinuit, descripta est*).

J. Astruc, *Quaestio medico-chirurgica, an fistulis ani chirurgica sectio?* Monspelii 1718. 12.

J. B. Boyer, *Ergo fistulae ani sectio Chirurgica*, Parisiis 1734. 4to.

Faget *l'aîné*, *Remarques sur les abscès, qui*

arrivent au fondement; Mém. de l'Acad. Royl. de Chirurgie. Tom. I. pag. 389 seqq.

J. B. T. Martinenq, *Ergo sectione praesertim curanda ani fistula?* Parisiis 1744. 4to.

P. Arcelin, *An ani fistula ferro tutius, quam causticis aut ligaturis, curatur?* Paris. 1746. 4to.

H. Capet, *An sectione praesertim curanda ani fistula?* Parisiis 1750. 4to.

Foubert, *Mémoire sur les grands abscès du fondement; Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie*, Tom. III. pag. 473 seqq.

Bousquet, *Mémoire sur le traitement des fistules à l'anus*, Paris 1766. 8vo.

J. Meyer, *Specimen inaugurale de fistula ani*, Argentorati 1771. 4to.

F. Chopart, *Diss. de ani fistula*, Parisiis 1772. 4to.

Tinchant, *Diss. de periculo operationis fistulae ani, a causa interna provenientis*, Argentor. 1790. 4to.

Marguerie, *Diss. sur la fistule de l'anus*, Paris 1802.

J. V. Vallet, *Diss. sur les abscès du fondement et ses fistules*, Paris 1803. 8vo.

J. Fiory, *Dissertation sur les fistules de l'anus*, Paris 1803. 4to.

M. Dalbine, *Dissert. sur la fistule à l'anus*, Paris 1805. 4to.

J. B. Foucart, *Dissertation sur la fistule à l'anus*, Paris 1804. 4to.

H. Desvallées, *Diss. de variis ani fistulas curandi modis*, Parisiis 1804. 4to.

Bris-

Brisset, Propositions de Chirurgie et de Médecine, Paris 1808.

Mitiffieu, *Diss. sur les fistules à l'anus*, Paris 1812.

H. Lefèvre, *Diss. sur la fistule à l'anus, suivie de l'exposition d'un nouveau procédé, pour en pratiquer l'opération par la ligature*, Paris 1813. 4to.

A. Audibran, *Dissertat. sur les fistules à l'anus*, Paris 1814. 4to.

J. P. Lalanne, *Diss. sur les abscès au fondement, et la fistule à l'anus*, Paris 1817. 4to.

DE FISTULA URINARIA; RECTO-VAGINALI; VESICO-VAGINALI; RECTO-VESICALI ATQUE RECTO-URETHRALI.

Quum fistulae urinariae ex variis non tantum violentiis externis, quales sunt vulnera ac contusiones, ictu, lapsu, vel alia ratione factis, oriantur, verum etiam causas alias diversissimas, quales sunt metastatica ad perinaeum depositio, urethrae coarctatio, glandulae prostatae intumescentia (1), calculorum urinariorum aberratio (2) etc., insequi

(1) Vid. Petit, Observation sur une fistule au périnée; dans les Mémoires de l'Academie Royale de Chirurgie, Tom. I. pag. 619 seqq.

(2) Vidd. Louis, Mémoire sur les pierres urinaires formées hors des voies naturelles de l'urine; dans les Mém. de l'Acad. Royale

qui soleant, quumque eaedem praeterea, quoad orificia sua, quibus ad interiora et exteriora hiant, quoad directionem suam ac complicationem, non parum a se invicem differant, facile intelligitur, easdem, pro varia conditione praesente, varia quoque Artis auxilia ad sanationem suam requirere. Quamvis autem fistularum harum Chirurgia, pro peculiari, qui adesse potest, haud raro differre debeat casu, in universum tamen princeps, cui satisfacere debemus, Indicatio in largiori orificii fistulosi externi dilatatione, in viae naturalis, penitus occlusae vel coarctatae, restitutione, in urinae contactu ab orificio fistulae interno arcendo, atque in convenienti ulceris therapia facienda, eoque ad consolidationem demum ducendo, posita esse videtur. Ut Indicationi huic satisfieri possit, praeter alia, requiritur catheteris in vesicam immissio atque diuturna in urethra commoratio. Cathetere quippe crassiori in urethra relicto, via lotio liberior restituitur, dum ad orificium fistulae internum, ad contrahendas callositates caeterum proclive, urina proserpere, aut per idem stillare, nequit. Haec commoda quamvis catheteris aut cereorum usus promittat, absque eorundem tamen auxilio, fistulas urinarias non tantum sanari posse, verum eosdem etiam sanationis nonnunquam efficere impedimenta, experientia Lithotomos aliosque Chirurgos docuit. Praeter alios, Cl. *Dupuytrenus* eti-

le de Chir. Tom. III. pag. 332 seqq. Richerand, Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales, Tom. III. 5me édit. pag. 503 seq.

etiam statuit, orificii interni, ad fistulam urinariam pertinentis, labia a cathetere, in urethra relicto, a se invicem saepe removeri, atque sic sanationem impediri. Hanc doctrinam, a nonnullis passim impugnatam, quum confirmare videatur sequens, quam Parisiis facere licuit, fistulae urinariae observatio, haec, quae hactenus scripsimus, praemittenda videbantur, ne observationem, notatu dignam nobis visam, nudam, nullo, ad quod inservire debet, consilio indicato, e Diario nostro transscriberemus. Morbi autem historia sequens est. Juvenis sedecim aut octodecim annorum aetatis, qui, ab equo, quo vehebatur, cadens, pedibus a se invicem remotis, perinaeo praevio, in amphoram lapsus erat, in Nosocomio Hôtel-Dieu, morbi, quem inde perpessus erat, remedium quaerebat. Perinaeum graviter inflammatum inveniebatur, et magna sanguinis copia per urethram fluebat; mictus continuus erat et dolorosus, cum stranguria conjunctus: postea autem Ischuria oriebatur. Per explorationem obstaculo quodam in urethra invento, catheter cum magna difficultate, et non sine aliqua vi, in vesicam immittebatur. Urina uberius fluente, catheter extrahebatur. Post aliquot dies urinae infiltratio locum habebat, atque tumor in perinaeo apparuit, e quo, incisione facta, urina fluebat. Catheter nunc in vesicam immittebatur, et in urethra, de tempore in tempus renovatus, relinquebatur, dum vulneris deligatio instituebatur. Cathetere jam per duos menses in urethra relicto, fistula urinam praebere nondum desierat. Catheter nunc extrahebatur, atque sequentibus diebus, inci-

cisione factum, externum fistulae orificium minorem jam urinae quantitatem stillabat. Fistulae labiis callo tectis, naturam fibroso-cartilagineam referente, ulcerata superficies, quatenus callum, sinus et receptacula referebat, cultro resecta est. Partibus autem durioribus, quae relinqui debuerunt, Emplastra resolventia imposita sunt, ut suppuratione durities tolleretur. — Hac occasione Cl. *Dupuytrenus* sequentem observationem narrabat. Ante duos annos aegrotus, eodem morbo decumbens, in Nosocomio Charitatis versatus erat, atque (curae fortasse commissus *Richerandi* Viri Clarissimi, catheterum et cereorum diuturnum usum magni facientis) catheterem elasticum per tredecim menses frustra portaverat: venit nunc aegrotus ad Cl. *Dupuytrenum*, qui sanationem, sine cathetere, eo cum effectu, se expertum esse testabatur, ut aeger, octo dierum tempore, Nosocomium Dei sanatus re-reliquerit. — Inter notatu dignissimas, quas vidi, fistulas urinarias, pertinet illa Viri quadraginta quinque annorum, qui ante octo vel decem annos mictum cruentum, nescio, e qua causa, habuerat, atque dein, propter urethrae coarctationem aut partiales stricturas, urinae retentione decubuerat. Postea urinae infiltratio ad perinaeum facta est, et fistulae formatae sunt, quae sanari nesciae videbantur. In juventute admodum scrophulosus fuerat aeger: hinc verisimiliter femoris sinistri, quae aderat, in superiora luxatio locum habuerat, dum in altero latere magna hydrocele formata erat. Urethra hinc singularem decursum referebat, quapropter maxima erat in eadem, catheteris auxilio, exploranda diffi-

ficultas. — Aliam perinaei fistulam vidimus, quae tumorem referebat, capitis infantis unius anni magnitudine instructum, a penis radice posteriora versus se extendentem. Fistulae integumenta maxime inflammata erant, violaceum habebant colorem, teterrimum spargebant odorem, et pro magna parte Gangraena correpta erant. Cathetere in vesicam immisso, fistulae dilatatio facta est: vesicae autem et peritonaei, quae per consensum locum habere videbatur, inflammatio atque praesentis Gangraenae gradus sanationem non pollicebantur. — Quum cauterii usum, in fistulis urinariis, cum magna labiorum degeneratione, aut alia, sanationem impediente, conditione conjunctis, a *Ducampio* aliisque, ne de Anglis dicamus, commendatum, atque compressionis methodum, in fistulis, quas magna substantiae jactura comitatur, a *Richerando* aliisque in usum vocatam, Parisiis adhiberi videre non licuerit, doleo, me de his nulla notare posse.

Fistula recto-vaginalis, quae partu difficiliori vel insolito (1), aut laesionibus aliis mechanicis vel qualitativis nonnunquam obtinet, quaeque faecum aut flatuum in vaginam transitu aliisque symptomatibus dignoscitur, omnia non raro Artis salutiferae conamina eludere solet. Cl. *Dupuytrenus* autem, cauterii actualis vel potentialis, Nitratis argenti potissimum, auxilio, sanationem aliquando, sequenti me-

(1) Faeminae, quae, partim per anum, partim per vaginam, foetus emortui partes demisit, his vero expulsis, sanata est, memorabile exemplum habet Camperus: Vid. Demonstrat. Anatomico-patholog. Libr. II. pag. 16.

methodo usus, obtinuit. Faemina, in supinatione, lecti margini incumbente, femoribus a se invicem remotis et in pelvim flexis, Chirurgus, manu dextra usus, in vaginam, aut in intestinum rectum, speculum uteri vel ani fenestratum immittit, cujus auxilio de orificii, quo fistula patet, situ et conformatione certior evadat: manubrium speculi manu dextra tenens, margines orificii ferro candente aut alio cauterio tangit, atque, saepius stimulo hoc admovendo, fistulae labia ad inflammationem adhaesivam disponit. Post primum plerumque cauterii usum eschara formatur, quae sponte cadit, post cujus lapsum partes iterum cauterio, aut caustico remedio, tangi debent.

Eodem modo praeternaturale commercium inter vesicam et vaginam locum habere potest, quod partus laboriosos, ineptum forcipis usum, aliasque laesiones mechanicas, erosionem, ex ulceribus syphiliticis, carcinomatosis, aut pessariis, diu in vagina relictis, oriundam, etc. pro causa sua agnoscit, et, quum causae hae non semper evitentur vel evitari possint, non adeo infrequens est. Sanatio, quamvis difficilis sit, non raro locum habere solet, quum aditus ad vaginam sat facilis sit, atque haec, si Catamenia, fluorem album similesve conditiones accidentales excipias, non multum irritationi exponatur. Duplex autem conditio sanationem difficilem reddit, quarum altera posita est in substantiae deperditione, quae fistulas has saepe comitatur, altera in urinae irritatione, cui continuo sunt expositae. Si nimirum, per nimiam anterioris vaginae et inferioris vesicae partis parietum pres-

sio-

sionem et contusionem, major Gangraenae plaga formata sit, post hujus lapsum non raro notabilis substantiae deperditio una cum fistula invenitur. Quum praeterea urina, in hoc fistularum genere, non tantum vaginam intrare, sed sponte in illam defluere, debeat, facile intelligitur, stimulum huncce continuum satis magnum esse, qui sanationem impediat. Ad utramque hanc conditionem optime attendisse videtur *Desaltius* (1), qui, cannulae majoris, per urethram in vesicam immissae et per peculiarem fasciam, bracherio analogam, satis firmatae, auxilio, atque coni vel cylindri, e linteo carpto, resina elastica aut similibus facti, in vaginam immissi et hanc dilatantis, rotundum itaque fistulae orificium transversum reddentis, usu diuturniori, faeminas, molestum et foedum hoc incommodum expertas, non raro sanavit. Cl. *Dupuytrenus*, recentiori tempore, has etiam fistulas ferro candente aggressus est, et non raro earundem cicatrisationem obtinuit. Alii Nitratis argenti usum ferro candenti, quod in Chirurgo maximam requirit prudentiam et habilitatem, atque a quo faeminae pleraeque jure suo abhorrent, praetulerunt, et inter hos etiam Cl. *Lallemand*, Chirurgiae, in Academia Montepessulana, Professor, cujus agendi methodum h. l. non indicabimus, quum ipse Vir Clarissimus methodum suam una cum instrumentis, quibus utitur, descripserit (2).

Cam-

(1) Vid. Traité des maladies des voies urinaires etc. l. l. pag. 296 seqq.

(2) Vidd. Réflexions sur le traitement des fistules vesico-vagina-

Camperus historiam narravit civis Amstelodamensis, qui, post colicam inflammatoriam feliciter perpessam, pilulas assumptas, pisa et passulas minores una cum urina emisit: in cadavere ilei portionem, intestinum coecum et summam vesicae partem, mirum in modum, concreta invenit. Similes e *Boneto*, *Bartholino* et *Schenckio* observationes notavit (1). Tales inter vesicam et intestina, in continuitate, incongruos nexus, conformationis nonnunquam vitia habendos esse atque ab ipsa jam nativitate adesse, *Meckelius* aliique egregie indicarunt. Verum praeternaturales hos nexus, qui morbosam inter vesicae et intestini recti potissimum cava unionem constituunt, inflammationis, suppurationis aliusve processus pathologici saepe sequelas esse, nec infrequenter adeo inveniri, recentiores de Anatome pathologica scriptores plurimis exemplis abunde probarunt. Quum autem fistulae hae post ineptam calculorum sectionem, et post Lithotomiam, secundum *Sansoni* methodum institutam, frequentissime oriantur, de iisdem etiam in Capite de Lithotomia Sansoniana fusius dicturi sumus, dum ibidem, pluribus felicissimae earundem sanationis exemplis, probare conabimur, non amplius vera habenda esse, quae scripsit *Callisenius* (2): « Malum tempestiva prophylaxi antiphlo-

nales; nouveau moyen d'union, applicable à celles, dans lesquelles la perte de substance est considérable; dans les Archives générales de Médecine. Tom. VII. Avr. 1825. pag. 481 seqq.

(1) Vid. Demonstrat. Anatomico-pathologicar. Libr. II. pag. 15 seq.

(2) H. Callisen, Systema Chirurgiae hodiernae etc. Vol. I edit. 4tae, Hafniae 1815, pag. 556.

« phlogistica, derivante, revellente, et incisione « perinaei tempestiva averti forsan potest; praesens « nullo remedio hucusque cognito sanari potest; ne- « que heic quicquam a cathetere in vesicam immisso « sperandum est."

Fistulae recto-urethrales, quamvis recto-vesicalibus infrequentiores sint, facile tamen, calculorum majorum extractione rudiori, causis mechanicis aliis, abcessuum profundiorum formatione etc., locum habere possunt. Sanatio caeterum ab illa recto-vesicalium non differt, quum etiam, cauterii vel causticorum usu, illis mederi soleant *Dupuytrenus* aliique. Continuus autem urinae affluxus et irritatio, cui partium harum fistulae exponi solent, in hac specie optime evitari potest, quum urina per catheterem, in urethram immissum, fluere, et cauterisatio labiorum, in intestino recto hiantis, ostii, Nitrate argenti, Kali caustico aliisve remediis institui possit.

DE OSSIUM FRACTURIS.

Fracturas ossium Parisiis frequentissimas esse, e sequentibus conditionibus intelligendum videtur: 1. Incolarum et hospitum numerus in Galliae metropoli adeo magnus est, ut viae urbis pleraeque magna praetereuntium multitudine refertissimae esse soleant; 2. In partibus Lutetiae frequentioribus vehicula, pilenta et cisia, quibus homines vehuntur, atque plaustra, quibus onera majora deferuntur, tam magno numero per vias simul move-

veri solent, ut, si per annum Lutetiae degeris, neque unquam in aliquo, infortunium hac ratione habendi, periculo, curru vehentium aut equitantium culpa, versatus sis, habeas, de quo gratulari tibi possis; 3. Vini et Spirituosorum abusus, cui plebs deditissima est, inter frequentissimas fracturarum, quae in Nosocomiis observantur, causas pertinet; 4. Fracturarum Parisiis frequentiae causa in canalibus latioribus et satis profundis, ad sordes devehendas inservientibus, quae in mediis plateis et viis inveniuntur, quaerenda videtur, qua conditione factis, ossium fracturis, aliisve laesionibus, non semel testes oculares adstitimus. Quae quum ita sint, non ineptum mihi visum est, si de ossium fracturis paulo fusius dissererem, tum quia novorum quorundam, quae Chirurgis in Gallia tribuenda videntur, notandorum spes mihi affulgebat, tum quia, nostris etiam temporibus, nonnulli hanc Chirurgiae partem minus curare videntur Chirurgi. Non infrequens enim est Chirurgorum et Medicorum ignorantium cogitatio, fracturarum ossium repositionem (quasi, hac instituta, omnia facta sint) et facilem esse, et parvam requirere cognitionem Chirurgicam. Cogitare hi velint, quae scripsit *Heisterus* (1), Chirurgus quondam Celeberrimus. « Magna utique Chirurgis « opus est circumspectione; nescio enim, qua fiat, « ut, qui rerum Chirurgicarum imperitiores sunt, « ossium fracturas in levissimis propemodum cura-

« tu-

(1) Vid. Institut. Chirurg. Tom. I. Amstel. 1750. 4to. pag. 172.

« tuque facillimis corporis humani noxis enumerare « soleant; quum tamen impossibile nonnunquam sit, « membrum aliquod fractum pristinae integritati at- « que elegantiae restituere, quantumvis etiam pe- « ritus atque excellens Chirurgus accesserit." Quod *Heisteri* monitum, sui temporis multorum Chirurgorum ignorantiae potissimum superstructum, nostro etiam tempore suum usum habere potest, et ad Chirurgos nonnullos, qui majorem in Emplastrorum panchrestorum, quam quidem in ossium, studio operam posuerunt, referri posse videtur.

A tempore, quo *Desaltius* in Gallia, *Pottius* in Anglia, atque *Camperus* in patria nostra, Physiologiae et Pathologiae rationali superstructa et Oeconomiae humanae legibus congrua, ossium fracturarum principia accuratius enuclearunt, Naturae in illis agendi rationem melius observarunt, atque, Mechanicorum auxiliorum potentiam et agendi leges scrutati atque edocti, in optimam, qua ossa fracta reponi et retineri possent, rationem ac methodum inquisiverunt, universa fracturarum doctrina accuratius cognosci coepit. Eandem autem, recentiori tempore, *Boyerius*, *Dupuytrenus*, *Larreyus* et *Richerandus* in Gallia; *Aitkenius* et *Cooperus* in Anglia; *Bernsteinius*, *Böttcherus*, *Graefius*, *Langenbeckius* aliique in Germania, illustrarunt, dum, longiori experientia edocti, optima artis auxilia melius cognoscere coeperunt. Quamvis enim concedamus, hodiernam in ossium fracturis, a parte Chirurgi, agendi rationem non multum ab illa *Desaltii* differre, et vel maxime ad eandem compositam esse, non nega-

gari tamen poterunt recentiorum Galliae Chirurgorum, de fracturarum, in casu difficiliori, repositionis Mechanismo, atque Germanorum de optimo, et pro varia conditione maxime congruo, fasciarum apparatu, merita, ad quae accedit accuratior, ossium Anatome et Physiologia praelucentibus, Naturae, callum generantis, aut deperdita restituentis, agendi rationis atque, quas observare solet, legum cognitio. De quo argumento Chirurgorum Gallorum sententiae tradi deberent, nisi de calli origine atque ossium regeneratione tam magna ac diversa earundem exstaret copia. Ab *Ambrosii Paraei* (1) quippe tempore, in hoc argumento explicando versati sunt Viri Doctissimi *Verduc* (2); *Wagret* (3); *J. L. Petit* (4); *Du Hamel* (5); *Vacher* (6); *Duverney* (7); *Bordenave* (8); *Fougeroux* (9); *Louis*

(1) Vidd. Oeuvres Chirurgicales. Livr. XV. Chap. XX, pag. 243.

(2) Vid. Nouvelle Ostéologie, Paris 1690. 8vo. Chap. VIII, pag. 38.

(3) Vidd. Observations de Médecine et de Chirurgie, Paris 1717. pag. 186 seqq.

(4) Traité des maladies des os. Tom. II. Chap. I, pag. 50 seq. Paris 1735. 8vo.

(5) Vidd. Mémoires de l'Academie Royale des Sçiences. ann. 1739, 1741, 1743.

(6) Vidd. Mémoires de l'Academie des Sçiences. Conf. Portal, Histoire de l'Anatomie et de la Chirurgie. Tom. V, pag. 124.

(7) Vid. Traité des maladies des os etc., Paris 1751. 12mo. pag. 421 seq.

(8) Vidd. Essai sur le Méchanisme de la Nature dans la génération du cal. — Recherches sur la façon, dont se fait la réunion des os fracturés: quae utraque Commentatio invenitur in Opere laudando Doct. Fougeroux.

(9) Vidd. Mémoires sur les os, pour servir de Réponse aux objec-

Louis (1); *Tenon* (2); *David* (3); *Marrigues* (4); *Leveillé* (5); *Delpech* (6); *Béclard* (7); *Boyer* (8); *Dupuytren* (9); *Ribes* (10); *Haime* (11); *Cruveilhier* (12); *Bichat* (13); *Villermé* et *Bre-*

schet

jections, proposées contre le sentiment de M. du Hamel du Monceau, etc. par Mr. Fougeroux, Paris 1760. 8vo.

(1) Vidd. Nouvelles Remarques sur la prétendue Régéneration des chairs etc.; dans les Mémoires de l'Academie Royale de Chirurgie. Tom. V., Paris 1774, pag. 128 seqq.

(2) Vidd. Mémoires de l'Academie des Sçiences, pour 1778.

(3) Vidd. Observations sur une maladie des os, connue sous le nom de Nécrose etc., Paris 1782. 8vo.

(4) Vid. Dissertation Philosophique et Chirurgicale sur la formation du Cal dans les fractures, Paris 1783.

(5) Vid. Mémoire de Physiologie et de Chirurgie pratique, par Scarpa et par J. B. F. Leveillé, Paris 1804. 8vo.

(6) Vidd. Dict. des Sçiences Médicales in v. Cal. Tom. III., Paris 1812. pag. 446—453. Delpech, Précis élément. des maladies reputées Chirurgicales. Tom. I. pag. 204 seqq.

(7) Vidd. Réflexions sur le Cal; dans le Bulletin de la Faculté de Médecine de Paris. an. 1813. pag. 430 seqq.

(8) Traité des maladies Chirurgicales et des Opérations, qui leur conviennent. Tom. III. pag. 80 et 91.

(9) Vid. Exposé de la doctrine de Mr. le Professeur Dupuytren sur le Cal, par L. C. Sanson; dans le Journal universel des Sçiences Médicales. Tom. XX, Paris 1820. pag. 131 seqq.

(10) Vidd. Mémoires de la Société Médicale d'émulation à Paris, VIII. année, pag. 611 seqq. Dictionnaire des Sçiences Médicales, in v. *Nécrose.* Tom. XXXV., Paris 1819. pag. 351 seqq.

(11) Vid. Auguste Haime, Dissertation sur les fractures comminutives etc.; dans la Collection des Thèses de Paris de 1816. pag. 25 seqq.

(12) Vid. Essai d'Anatomie pathologique en général, Paris 1816. vol. II. pag. 33 seqq.

(13) Vid. Anatomie générale. édit. de 1818. Tom. II. pag. 199 seqq.

schet (1); *Larrey* (2); *Richerand* (3); *Charmeil* (4); atque alii forte Viri Clarissimi et Doctissimi, quorum scripta nobis non innotuerunt.

Quum Naturae solius auxilio, aeque ac vulnera partium molliorum, ossium fracturae sanentur, Medico tantum incumbit officium, ut, justa fracturarum diagnosi instituta, quaevis sanationis impedimenta removeat, atque ossi, simul cum pristina integritate, situm naturalem et conformationem concinnam reconciliare studeat. Quum autem ossium fracturae transversae, obliquae, longitudinales, stellatae et irregulares esse possint, quum praeterea simplices inveniantur, compositae ac complicatae, uti v. c. fracturae cum assulis, fracturae comminutae, fracturae ossium cum partium molliorum junctae laceratione, cum morbosa ipsorum ossium diathesi, qualis Scorbutica, Scrophulosa etc., quumque una alterave harum conditionum locum habente, diagnosis non raro dubia sit ac difficilis, omnia certe ad hanc certiorem reddendam conamina probanda atque laudanda sunt. Quamvis autem aegroti ipsius interrogatio et partium laesarum

(1) Vidd. G. Breschet, Recherches experimentales sur la formation du Cal, Paris 1819. 4to. Dict. des Sçienc. Médic. Tom. XXXVIII. pag. 416 — 438.

(2) Vid. Journal Complément. du Dict. des Sç. Médic. Cah. 30. Décembre 1820. Tom. VIII. pag. 107 seqq.

(3) Vid. Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales, 5me édit. Tom. II. Paris 1821. pag. 12 seqq.

(4) Vidd. Sur la Régéneration des os; dans le Journal Universel des Sçiences Médicales; Sept. 1821. Recherches sur les Métastases, suivies de nouvelles expériences sur la régéneration des os, par M. J. Charmeil, Metz 1822. 8vo.

tum exploratio saepius nos fallere possint, atque nullum sit fracturarum symptoma, quod non aliquando deficere, aut, si praesens sit, in errorem nos ducere possit (1), causarum tamen, fracturam praegressarum, scrutinium, ut v. c. lapsus in trochanterem majorem, lapsus in hoc illudve corporis latus, brachio ab eodem remoto vel eidem applicato, etc.; situs partium mutatus; major minorve earundem longitudo; extremorum fractorum mobilitas; eorundem crepitatio, motu instituto; motuum membri fracti, a parte aegroti, difficultas vel impossibilitas; dolor aliaque partium ambientium symptomata, in plerisque saltem casibus, in primis si plura horum symptomatum simul adsint, de fracturae sede ac indole certiores nos facere possunt. Si autem Gallorum quorundam Chirurgorum testimonia fidem merentur, nulla exploratio, illis, quae Stethoscopi usu acquiruntur, certiora, in ossium fracturis, symptomata praebet: quo de argumento scriptiuncula Cl. *Lisfranc* (2) legi meretur.

Si diagnosis facta est, de vario modo cogitari debet, quo Naturae, in fracturae praesentis sanationem, succurrere possimus. Atque hunc in finem sequentes Indicationes praecipuae esse videntur. 1. *Ossium fractura factis, partium molliorum laesio-*

(1) Legi de his meretur F. Voisin, Réflexions et Observations sur les fractures douteuses et obscures; dans le Journal Complém. du Dict. des Sç. Médic. Cah. 10. Avril. 1819. pag. 106 seqq.

(2) Mémoire sur de nouvelles applications du Stéthoscope de M. Laennec etc. Paris 1823. 8vo.

sionibus prospiciatur, impedimenta mechanica, qualia vel ab ossium extremis, vel a corporibus alienis, esse possunt, removendo; sanguinem, quem arteriae majores stillant, coërcendo; vulneribus ac contusionibus, si cum fractura juncta sint, aptam medelam faciendo; denique inflammationem, spasmum, aliaque sanationis impedimenta, refrenando atque tollendo. 2. *Ossa fracta in situm naturalem reponantur et in eodem teneantur*: Indicatio primaria, cujus parti priori congruo manuum aut instrumentorum usu, praelucente anatomica partium cognitione, satisfacimus, dum, ut posteriori satisfieri possit, aptus fasciarum apparatus eligi et, cum judicio Chirurgico, applicari debet. 3. *Pejoris notae symptomatibus, fracturam factam concomitantibus et morbis secundariis, eandem insequentibus, mederi studeat Chirurgus*: inter symptomata illa referri merentur suppuratio profusa vel ichorosa, febres pertinaces, Gangraena partium, fracturam ambientium, aut quae per decubitum obtinet, diarrhoea diuturna, colliquativa, symptomata accidentalia, qualia syphilitica, scorbutica etc. Quod autem ad morbos secundarios attinet: hi certe, per diaetae errorem aliasque causas quam plurimas, fracturam nondum sanatam concomitari possunt, dum, sanatione nondum rite peracta, callus per levissimas causas iterum frangi potest; utriusque generis incommoda igitur evitare, iisque, si locum habuerint, mederi studeat Chirurgus.

Saepius autem ipsa fracturarum ratio sanationis impedimenta exhibere potest. Uti enim magna frac-

fractorum comminutio, ita etiam multiplex, in uno eodemque homine, ossium fractura, cum partium molliorum vulneribus conjuncta, sanationem difficillimam reddere potest. In cujus rei explicationem, sequentes, Parisiis factas, observationes narrare liceat. — Juvenis, viginti quatuor annorum aetatis, in opere latericio occupatus, a quarta contignatione, facie et dextro corporis latere praeviis, in terram cecidit. Nares in duas plane partes divisae erant, vomere et cartilagine intermedia integris, ut videbatur, relictis. Aegrotus, eodem lapsu, os humeri dextrum et ejusdem lateris femur fregerat, utraque fractura cum vulnere sociata. Caementarius, postquam, vulnerum haemorrhagia, satis magnam sanguinis copiam perdiderat, in Nosocomium Dei transfertur. Per utramque narium alam sutura cruenta ducitur, ut margines sauciati secum jungantur. Fractura complicata, ad humeri inferiorem partem facta, et femoris fractura, post factam repositionem, ferulis et apto ligamine instruuntur. Tertio morbi die, delirium furiosum cum motibus inordinatis obtinebat, aegroto magnos rumores et clamores faciente, atque, duabus fracturis praesentibus, nihilominus tamen in lecto suo surgente. Ligatus est, ne motus hosce ulterius instituere posset. Delirium per aliquot dies continuavit et aegrotus omnes fascias, durante nocte, solvisse et deposuisse inveniebatur. Sanguinem praeterea, quem vulnera stillaverant, in oculum immiserat, et magnam, ex hac causa, excitaverat ejusdem inflammationem. Sex itaque morbis, haemorrhagia nimirum, quae antecesserat, satis magna,

na, narium fissura, humeri et femoris fracturis, cum vulnere junctis, delirio furibundo, ophthalmia demum decumbebat aegrotus, et nihilominus, post aliquot dies, sanationis quaedam spes erat. — Puella decem vel duodecim annorum aetatis, bonam corporis constitutionem referens, matris reprehensionem experta, atque, Gallorum more, de sua sorte mox desperans, e quartae contignationis fenestra sese projecerat, et lapsu hoc fracturam comminutivam radii et ulnae, atque contusionem profundam pectoris et abdominis, in latere dextro, perpessa erat. Cutis, tempore, quo in Nosocomium deferebatur aegrota, omnem colorem atque calorem animalem amiserat, motus fere nullus percipiebatur et pulsus vix sentiebatur. Motu ac sensu redeuntibus sensim, febriles motus incipiebant, pulmonis contusionem quandam experti signa intrabant, atque dolores praeterea in hepatis regione oriebantur, quos vomitus sequebatur. Hirudines ad hypochondrium dextrum ponebantur, earumque usus repetebatur. Contusionum, remediorum externorum et potuum demulcentium usu, cura habebatur, atque cubiti ossa reponebantur. Frusta ossea, post duos dies, ex antibrachii vulnere exierunt, ad humeri condylos, ut videbatur, pertinentia. Vomitus sanguinis aterrimi oriebantur. Nulla quies diurna aut nocturna. Alvus non respondebat. Die quarto mortua est. — In ipsa etiam partium laesarum dignitate atque conditionibus, earundem fracturam insequentibus, difficilis saepe ac dubia fracturarum sanatio causam suam agnoscere potest. Huc, praeter calvariae fracturas, illae vertebra-

brarum potissimum pertinent. Has periculi plenas et mortiferas plerumque habendas esse, res est notissima (1). Ab altera autem parte, vertebrarum fracturas, si levis tantum vel nulla medullae spinalis contusio aut commotio locum habuerit, sanatas fuisse constat. Cl. *Beclardus*, in Nosocomio la Pitié, aegrotantis curam habuit, qui vertebrarum fracturae per plures menses supervixit, et cujus vertebrae lumbares tamen, fracturam expertae et callo, deformitate quadam relicta, consolidatae, post mortem, inventae sunt. Verum talia, in vertebrarum fractura composita, sanationis exempla inter rarissima pertinent: inter observationes autem, contrarium docentes, sequens etiam locum inveniat. Juvenis, per lapsum ex alto, ad quintam vel septimam vertebram, columnae spinalis fracturam expertus erat. Paralysis pedum, parietum abdominis et musculorum Thoracis, magna pro parte, mox illam insequebantur. Intestina repletionis exhibebant indicia, quare, levaminis causa, Eccoproticum datum est. Ad fracturae regionem nec hirudines nec Cucurbitas positas fuisse, mirati sumus. Brevi tempore, summa cum respirationis difficultate, per asphyxiam, ut videbatur, mortuus est aeger. In cadavere escharae gangraenosae ad sacrum inveniebantur. Medulla spinalis ab exteriori nullam laesionem aut contusionem exhibebat: eadem autem se-

(1) Vidd. S. T. Sömmering, Bemerkungen über Verrenkung und Bruch des Rückgraths, Berlin 1793. 8vo. J. L. Casper, Ueber die Verletzung des Rückenmarkes, in Hinsicht auf ihr Lethalitäts-verhältniss, Berlin 1823.

secundum longitudinem dissecta, locus, quintae vertebrae respondens, ab interiori destructus et parva puris quantitate repletus inveniebatur. Medulla spinalis, infra locum hunc invenienda, ubivis colorem naturalem habebat, quae vero supra locum inveniebatur affectum, colorem referebat magis obscurum. Pulmones sanguine turgebant, leviter inflammati erant, et tuberculorum indicia exhibebant. — Moriendi genus, ut haec etiam addam, secundum *Dupuytreni* sententiam, differt, pro loco, in quo columna vertebralis fracturam experta est. Quo magis versus superiora nimirum vertebrarum fractura obtinuerit, eo citius aegrotos mori, et per asphyxiam quidem extingui, Vir Clarissimus statuit. Contra, si vertebrarum medullae spinalis laesio versus inferiorem columnae partem locum habuerit, aegroti, secundum *Dupuytreni* sententiam, per mensem saepe aut paulo diutius vivere possunt, quum, eo in casu, non per asphyxiam, sed per Gangraenam partium, quarum sensilitas et reliquae proprietates vitales deletae sunt, mori soleant.

Verum in viam, a qua digressi sumus, revertamur et in Indicationum, quibus in ossium fracturis satisfaciendum est, doctrina explicanda pergamus, ut sic illa, quae Galliae in his peculiaria esse videntur, intelligantur. — Diximus, primariam in ossium fracturis Indicationem esse, ut ossa fracta in situm naturalem reducantur et in eodem teneantur. Quod ad primum attinet, ut situs pristinus ossibus fractis iterum concilietur, hunc in finem requiruntur extensio, contra-extensio et coaptatio: sunt tamen casus, in quibus utraque prior enchei-

re-

resis non instituitur, ut in fractura patellae, olecrani, calcanei etc. Contra-extensio, cum qua musculorum relaxatio semper jungenda est, ab uno vel pluribus amanuensibus plerumque perficitur, qui vel manibus, vel vario ligaminum et pannorum genere utuntur, quamvis, in colli femoris et in humeri fractura, et in pluribus certe aliis, contra-extensio, quae a puncto fixo et immobili, cum quo partes retinendae junguntur, perficitur, praeferenda sit, quum Chirurgus ipse melius tunc potentiam, qua contra-extensionem fieri debere censet, regere ac modificare possit. Si autem quaeratur, quanam ratione extensionem atque contra-extensionem Chirurgi in Gallia instituere soleant, in universum respondendum videtur, methodum, qua utuntur, magis cum illa nostratium atque Germanorum, quam cum illa Anglorum, convenire. Anglorum nimirum encheiresin, qua extensio et contra-extensio in ipsis ossium fractorum extremis instituuntur, ut sic membrum ipsum in semi-flexione collocari atque musculi ita relaxari possint, Chirurgi in Gallia, auctoritate *Desaltii*, alios musculos, aliis relaxatis, in tensione necessario versari debere, statuentis, nunquam, aut raro saltem, in usum vocare solent. Si enim *Dupuytrenum* aliosque pauciores excipias, plerique Parisienses Chirurgi extensionem et contra-extensionem in punctis, a loco fracto magis remotis, instituere solent, dum, repositione facta, ad justam fractorum consolidationem obtinendam, extensionem continuam requiri, statuere quoque videntur. Quod ad fasciarum, quae ad reposita ossa fracta retinenda adhibentur,

 ap-

apparatum attinet, eadem fere in Gallia, quae apud nostrates atque Germanos, obtinere videtur ratio, quum in extremitatum superiorum fracturis fasciae circularis, atque in fracturis femoris et cruris fasciae octodecies capitatae (bandage à dix-huit chefs), vel fasciae *Sculteti* (bandage à bandelettes séparées), usum praeferre soleant. Et hoc quidem jure fieri videtur. Fascia circularis enim, quae partes melius continere et firmius ligari potest, propterea in extremitatum superiorum fracturis praeferri meretur, quia partibus his, facile a corpore removendis aut attollendis, applicari et renovari facillime potest. Fracturarum recens factarum, et cum magna partium molliorum inflammatione junctarum, curam habentes, Chirurgos, fomentationum frigidarum loco, emolliente Cataplasmate, in Nosocomiis Parisiensibus, uti, saepius mirati sumus: eosdem etiam inter Aquae Goulardi atque Spiritus vini camphorati usum non satis distinguere, crederemus. Ferulae, quibus Galli utuntur, ligneae sunt: in Nosocomiis saltem metallicarum, chartacearum et coriacearum usum fieri nunquam vidimus, quamvis easdem, in lectionibus suis, commendare etiam soleat Cl. *Richerandus*. Maxime autem ferularum usum evitare studet Cl. *Larreyus*, qui iisdem rarissime in ossium fracturis uti solet. In ossium fracturis, deligationis apparatu simplicissimo uti solere Cl. *Dupuytrenum*, quae de quorundam ossium fracturis, data opera, dicturi sumus, abunde probare poterunt: hoc igitur loco, exempli causa, sequentia notasse sufficiat. Mensis Novembris initio, duos aegrotos, maxillae inferioris frac-

tu-

turam expertos, in Nosocomio Hôtel-Dieu observavimus. Alter, qui juvenis, a rotae, currum moventis, pondere atque pressione infortunium tulerat: alter, quinquagenarius vir, per lapsum maxillae fracturam perpessus erat. In illo magna aderat partium molliorum intumescentia et sugillatio, ita ut, his remotis, diagnosis demum fieri posset, quae docebat, fracturam inter dentem molarem penultimum atque sapientiae dentem locum habuisse: in hoc molliores partes minus tumebant, versus interiora autem tumor quidam sentiebatur, quem autem, accuratiori examine instituto, radicis dentis molaris ramum esse constabat. Juvenis maxilla, cujus partes diffractae mobiles quidem erant et ad se invicem triturari poterant, naturalem autem situm constanter retinebant, sine ulla deligatione facta, sibi relinquebatur; in viro autem quinquagenario maxilla inferior ad superiorem, apta fasciatione facta, retinebatur, dum aegroto jusculorum tenuiorum usus tantum concedebatur. Uterque aeger, sine ulla motus difficultate aut maxillae deformitate, sanatus est. — Uti *Dupuytrenus*, plerique Parisienses Chirurgi fascias simplicissimas in usum vocare solent. Facile autem intelligitur, exiguum temporis spatium, quod illis, qui Chirurgorum vel Amanuensium munere in Nosocomiis funguntur, pro singulorum aegrotorum deligatione conceditur, vix permittere, ut, apto et concinno modo, fascias et vincturas semper, in ossium fracturis aliisve morbis, aegroto apponere possint. — Quod ad deligationis tempus attinet, dixisse sufficiat, eandem, in Nosocomiis Parisiensibus plerisque, hora matutina atque vespertina sexta, insti-

stitui solere, dum ejusdem frequentius vel rarius renovandae Indicatio ab ipsa, ut facile intelligitur, fracturae ratione atque, quae eandem comitantur, conditionibus dependet. Inter conditiones autem, quae ossium fracturas comitari, easque graviores reddere, possunt, pertinent etiam partium molliorem vulnera, quae frequenter, simul cum ossium fracturis, oriuntur. Iisdem has concomitantibus, varias Chirurgorum, de frequentiori aut rariori deligatione instituenda, sententias esse solere, notavit jam Cl. *Magatus* (1), qui monet, alios, primis diebus, solius vulneris curam habere, et, ubi ulcera pura facta fuerint, deligare ad fracturae compositionem; alios vero, ut et fracturae et vulneris rationem habeant, hinc inde deligare; alios vulnus absque vinculo relinquere, alios idem vinculo comprehendere; alios a principio ossa reponere, alios, transacto inflammationis periculo; alios ferulas apponere, alios hisce non uti; alios vincula quotidie solvere, ut vulnus curent, aliis eadem per longius tempus relinquentibus; alios alia de his sentire. Quae sententiarum de hoc argumento diversitas non ad antiquiores tantum pertinere videtur Chirurgos, quum, qui nostris temporibus Medicinam faciunt, ne vel eandem de his doctrinam profiteantur. Partium molliorum vulneribus nempe ossium fracturas concomitantibus, Cl. *Boyerius* et *Richerandus*, in Dei atque Charitatis Nosocomiis, vincula et fascias quotidie, vel pluribus

(1) Vid. Caesaris Magati De rara medicatione vulnerum etc. Franc. Lips. et Amstel. 1733. Libr. II. Cap. V. pag. 49 seqq. Cap. VI. pag. 60 seqq.

bus saltem non interjectis diebus, solvere et procurare solent, dum eandem prudentiam plerique in Gallia Chirurgi commendant. Aliam prorsus in his rationem, in Nosocomio cohortis praetoriae, sequi solet Cl. *Larreyus*, cujus de hoc argumento, quam profitetur, doctrina, etiamsi experientia non semper probari videatur, digna certe est, quam loco hoc indicemus. *Larreyus* nimirum in ossium fracturis, cum musculorum et integumentorum vulnere complicatis, per quadraginta, et quot excurrit, dies, id est usque ad ossium fractorum perfectae consolidationis factae periodum, unum eundemque vincturae apparatum relinquit, atque, ad hanc agendi rationem se potissimum ductum esse, testatur, observationibus illis, quibus constat, milites saepius, belli tempore, vulnera magis minusve gravia simul cum fracturis expertos, in pugnae loco, amputatione aut alia quacumque operatione instituta, vinculis et fasciis instructos, postquam in locum, per plura centena milliaria saepe remotum, pervenerant, sanatos fuisse inventos, id est eorundem vulnera, iisdem per totum iter vinculis instructa, penitus jam sanata, aut cicatrice pro maxima parte tecta, reperta fuisse. His itaque exemplis ad imitandam agendi rationem, quam dira necessitas, belli tempore, jubere solet, invitatus, Cl. *Larreyus* eandem, per ultimos duos annos, saepius, et cum optimo non raro eventu, adhibuit. Arteriis laesis nimirum, si haemorrhagia adsit, ligatis, vulneris ipsius, si contusio, integumentorum denudatio, aponeurosium aut nervorum laceratio inveniatur, dilatatione instituta, sanguine demum coa-

coagulato et corporibus quibuscumque alienis, si adsint, remotis, fasciarum, quae requiruntur, apparatui pars fracta imponitur, cujus repositio instituitur, dum vulneris labia Emplastris fenestratis, Unguento de Styrace tectis, ad se invicem adducuntur. Emplastris, vulnus tegentibus, linteum carptum imponitur, quod iterum linteis compressis tegitur, totum membrum ambientibus, et pressionem aequabilem in universam ejusdem peripheriam facientibus. Linteis hisce compressis, quae a *Larreyo* Spiritu Vini aut Aceto camphorato, cum albumine ovi mixto, humectari solent, cum magna cura positis, fascia octodecies capitata in usum vocatur, qua omnes partes cingantur atque in situ suo retineantur. Pro tempore nunc, quod ad fracturam praesentem sanandam requiri censetur, idem hic fasciarum apparatus relinquitur, ita ut saepe, post sexagesimum demum diem, pro prima vice solvatur. Si autem, per unum alterumve diem deligatione instituta, motus febrilis major, partis fracturam expertae tumor, aliave similia oriantur, in Venae Sectione potissimum auxilium quaerit *Larreyus*. — Ad hujus autem methodi, quam indicavimus, comprobandam praestantiam argumenta quaedam, ingeniose proposita, et duplicem, quae pluris facienda est, Observationem ipsum, in Diario Gallico (1), Virum Clarissimum nuper notasse video.

Cujusnam autem momenti sit, aptum, in ossium frac-

(1) Vid. Journ. Complém. du Dict. des Sç. Médical. Cah. 79, Janv. 1825., Tom. XX. pag. 193 seqq.

fracturis, fasciarum apparatum seligere illóque convenienter uti, formari nescia nonnunquam docent ossium fractorum consolidatio et, quae hinc oriuntur, articulationes praeternaturales aut spuriae, quippe quae, uti ex aliis causis, e neglecto vel male instituto fasciarum apparatu oriantur. Quamvis *Hippocrates*, *Galenus*, *Paulus Aegineta* aliique, qui antiquioris Chirurgiae de fracturarum doctrina dogmata continent, de lenta vel retardata hac ossium fractorum consolidatione locuti sint, *Celsus* tamen primus fuisse videtur, qui morbum hunc accuratius perspexerit atque indicaverit (1). Postea, *Fabricius Hildanus* (2), *Todius* (3), *Reisseisen* (4) aliique inter Germanos; inter Anglos, praeter *Hunterum*, *Carolum Bellium*, *Brodie* et *White*, Viri Doctissimi *Hutchinson* (5), *Physick* (6) et *Cooper* (7); inter Gallos Chirurgi Expertissimi *Duverney* (8), *Horeau* (9), *A. Pe-*

(1) Vid. de Medicina Libr. VIII. Cap. 2 et 3.

(2) „Ossa disjuncta remanserunt, et ita quidem, ut in eo loco „veluti alterum articulum constituerent." Vid. Observationum Chirurgic. Centur. III. Obs. XCI.

(3) Vid. J. C. Tode, Arzneykund. Annalen. I Hft. Leipz. 1787. pag. 65 seqq.

(4) Dissertatio de articulationibus analogis, quae fracturis ossium superveniunt: vid. Langenbeck's Neue Chir. Bibliothek. I. pag. 81.

(5) Vidd. Practical Observations, pag. 162 seqq.

(6) Vid. Medical Repository. V. 1. New-York.

(7) Vid. Sam. Cooper's Praktisches Handbuch für Wundärzte in alphabetischer Ordnung, nach der dritten Ausgabe aus dem englischen übersetzt etc. von Froriep, Weimar 1819 seqq. in v. *Fracturen*.

(8) Vidd. Maladies des Os. Tom. I. pag. 447 seqq.

(9) Vid. Journal de Médecine, ann. XIII.

Petit (1), *Larrey* (2), *Chaussier* (3), *Rigal de Gaillac* (4), *Boyer* (5), *Roux* (6), *Cruveilhier* (7), atque *Villermé* et *Breschet* (8) ulterius in hoc argumentum inquisiverunt. Quorum singulorum, qui de hoc Chirurgiae Capite, in Gallia, meruerunt, sententias si paulo accuratius vellem indicare, in theoreticis certe magis, quam in practicis, versari velle viderer: quare breviter notasse sufficiat, quid fracturarum inveteratarum, quae a Natura non consolidatae fuerunt, Anatome pathologica, a Viris illis sollertius investigata, in universum docuisse videatur. Plerumque abnormis illa ossium conditio, quam, propter aliquam motus cum illo articuli naturalis convenientiam, articulationem praeternaturalem, spuriam, vel pseudarthrosin nominarunt, ab articulatione vera longe diversam structuram et conformationem referre solet

(1) Vid. Essai sur la Médecine du coeur etc., Lyon 1806. pag. 324 seqq.

(2) Vidd. Relation de l'armée d'Orient etc. pag. 227 seqq. Mémoires de Chirurg. militaire, Vol. I. pag. 131 seqq.

(3) Vid. Bulletin des Sçiences etc. par la Société philomathique, Paris an. VIII. pag. 97 seqq.

(4) Vidd. Annales Cliniques de la Société de Médecine de Montpellier. Juin 1812.

(5) Vid. Traité de Chirurgie etc. Tom. III. pag. 91 seqq.

(6) Vid. Relation d'un voyage fait à Londres en 1814, Paris 1816, pag. 202 seqq.

(7) Vid. Anatomie pathologique etc. Tom. I. pag. 374.

(8) Vidd. G. Breschet et L. R. Villermé, Experiments upon the formation of callus; Quaterly Journal of foreign Medecine and Surgery. N. 2. London Febr. 1819 G. Breschet, Essai sur les veines du Rachis. Recherches historiques et expérimentales sur la formation du Cal etc. Paris 1819.

let. Cartilagines quippe articulares atque vera synovia penitus deficiunt, dum ossium extrema non nisi massa quadam ligamentosa vel fibroso-cellulari cinguntur, quae non tantum ex illis, verum etiam, modo e periosteo, modo e musculis, modo ex aponeurosi, vel tela cellulosa vicinis, ortum suum habere videtur, quemadmodum hoc etiam docemur musculorum, articulum talem circumdantium, forma atque structura mutatis. Nonnunquam etiam inter fragmenta ossium corpus quoddam penitus fere fibrosum interpositum invenitur, dum illorum alterum, minus mobile nimirum, speciem cavitatis glenoïdeae format, qua alterius magis mobilis fragmenti extremum excipitur, quod, substantiae jactura facta, magis magisque rotundatur. Corpus illud fibrosum, quo Natura deperdita restituere conatur, naturam fibroso-cellularem refert et eandem fere structuram habet, qua massa, olecrani et rotulae fragmenta non raro conjungens, instructa esse solet (1): caeterum chordae, laxius tensae, adinstar, inter ossium fragmenta, per pollicem saepe aut ultra a se remota, invenitnr, dum, in medio tenuius, ad extrema sua, quibus cum ossium extremis jungitur, latius est et nonnunquam naturam sub-cartilagineam refert, indicio, ligamenta haec in primo tunc calli stadio versari. Quod autem ad cavitatis glenoïdeae speciem attinet, quae saepe in altero ossis extremo formatur, ejusdem principium, in experimentis in canibus institutis, nunquam ante decimum octavum diem, observarunt Viri Doct.

(1) Vid. Boyer, Traité de Chirurgie etc. Tom. III. pag. 94 et 102.

Doct. *Villermé* et *Breschet* (1), quorum observationes de mutationibus, quas ab hoc inde tempore extrema fracta, imperfecte reposita et sibi relicta, in canibus subire solent, lectu dignissimae esse videntur. Denique Natura illa nonnunquam utitur sollertia, ut in articulis his spuriis laminae cartilagineae, quamvis imperfectae, et vel latex quidam unctuosus, inveniantur (2). Quae quamvis nonnunquam fieri soleant, ossium extrema tamen, post fracturas non consolidatas, omni motu plerumque libero atque harmonico destituuntur, ita ut vix articulo spurio conjuncta dici mereantur.

Quaeritur autem, quomodo Ars Naturae in hoc morbo succurrere possit? Quum ejusdem causae vel dynamicae sint, quales dispositio singularis, suppuratio, aëris et nutritionis vitia, scorbutus, dyscrasiae aliae; vel mechanicae, quales extremorum dislocatio, quietis defectus, corpora ossium fragmentis interposita etc. (3), facile intelligitur, vel a Medicina et Diaetetice, vel a Chirurgia, auxilia esse peten-

(1) Vidd. locis antea ll.

(2) Vidd. Chaussier, dans le Bulletin des Sçiences etc. l. l. Cruveilhier, Anatomie pathologique, l. l. Villermé et Breschet, locis laudatis.

(3) Magnum pseudarthrosium, post fracturas, tormentis bellicis aut telis igneis factas, ortarum numerum, in Franco-Gallis militibus, tempore expeditionis Syriacae, observavit Larreyus, qui Vir Cl. easdem tribuebat motui continuo, quem, Syriam relinquentes atque Aegyptum petentes, instituere debebant, aëri insalubriori, quem paludes, in quarum viciniis erant, exhalabant, alimentis denique dyspeptis et aquis stagnantibus atque corruptis, quibus uti cogebantur milites.

tenda. Hoc loco autem de Chirurgicis tantum auxiliis dicendum est. Quamvis mali sedes, brevior longiorve ejusdem duratio, fragmentorum mobilitas pluresque aliae conditiones Indicationes varias, quibus satisfieri debet, jubere possint, per duplicem tamen methodum in primis (si causarum manifestarum remotionem, quae prima sit, excipiamus), nexus ossium naturalis restituendus videtur. Primo nimirum, per accuratam extremorum repositionem, situm maxime congruum et immobilem, atque fragmentorum, per longius tempus, absolutam quietem, reunionem obtinere conetur Chirurgus. Secundo, si frustra hanc methodum expertus sit, ad illa refugiat artis auxilia, quibus utrique ossis fracti extremo conditiones, ad consolidationem facilitandam facientes, conciliare atque Naturae medicatricis vires convenienter regere possit.

Quod ad primum, experientia docuit, Naturam, quamvis per longius, quam quod ad fractorum reunionem vulgo requiritur, tempus firmam ossium consolidationem instituere frustra conata sit, non tamen desidem esse atque inertem, sed saepius, post plures demum menses, osseum inter fracta callum perficere, in primis si Ars tunc, congrua agendi ratione, Naturae auxilium praebeat. Per longum autem tempus auxilium hoc Naturae ab Arte praestetur, dum, in ossium longorum potissimum fracturis, quales illae femoris et cruris, per plures saepe menses fractorum extensio et absoluta quies requiruntur, quibus illorum per musculos retractio plane impediatur, et calli, eadem juncturi, genesis facilitetur. Post plures autem menses demum,

 os=

ossium fracturas nonnunquam consolidari, praeter alios, pluribus observationibus confirmare potest *Boyerius* (1), qui machina ad extensionem continuam, in extremitatum inferiorum fracturis, instituendam invenienda, aegrotis suis multum non raro proficuit, quemadmodum etiam Cl. *Roux* (2), qui observationem habet femoris fracturae non, nisi novem mensium spatio, rite sanatae. Quae quum ita sint, Chirurgi in tali casu patientia certe, qua per longum tempus Naturae auxilium ferat, maxime ab Arte requiri videtur; dum ad hanc methodum commendandam facere etiam potest observatio, quod nulla certa symptomata adsint, e quibus conficere possimus, num in dato casu articulatio spuria inter fragmenta jam adsit, an vero haec tantum callo nondum conjuncta sint: dogma enim Chirurgicum, quamcumque fracturam, sex mensium tempore, sanari atque, hoc spatio praeterlapso, nullam reunionem a Naturae parte sperari posse, multiplex satis refutavit fide digna Chirurgorum experientia.

Quod ad alteram Indicationem attinet, variam varii auctores methodum proposuerunt, qua torpentem Naturae facultatem medicatricem, in ossium fragmentis, ad calli secretionem instituendam suscitarent, sive, aliis verbis, qua illum, qui ad vegetationem animalem requiritur, inflammationis gradum in ossium fractorum extremis, in periosteo, et si quae aliae partes ad callum generandum faciant, excitarent.

An-

(1) Vid. Traité de Chirurgie etc. Tom. III. pag. 95 seqq.
(2) Vid. Rélation d'un voyage fait à Londres etc. pag. 202.

Antiquissima methodus est, quam *Celsus* (1) indicavit his verbis: « Si quando vero ossa non « conferbuerunt, quia saepe soluta, saepe mota « sunt, in aperto deinde curatio est: possunt enim « coire. Si vetustas occupavit, membrum exten-« dendum est, ut aliquid laedatur: ossa inter se « manu dividenda, ut concurrendo exasperentur, « et, si quid pingue est, eradatur; totumque id « quasi recens fiat; magna tamen cura habita, ne « nervi musculive laedantur." Hoc Celsianum consilium secutus est, praeter alios, *Hunterus:* neque exempla apud Gallos deficiunt, quae, feliciter hoc modo peractam, sanationem testentur (2).

Usum setacei, quod eundem, quem praecedens methodus, effectum debet praestare, commendarunt, praeter *Carolum Bellium*, *Brodium* atque *Winslowum*, Chirurgi Celeberrimi *Physick*, *Percy* et *Rigal de Gaillac*. Expertissimus *Physick* nimirum, Chirurgus Philadelphiensis, anno 1804, in nauta, per viginti jam menses humeri fracturam experto, methodum hanc adhibuit, ad articulum spurium, quo ossis fragmenta jungebantur, removendum (3). Eodem fere tempore Cl. *Percy*, Gallorum exercitum ad Rhenum secutus, in femoris fractura cum comminutione conjuncta, cujus Augustae Vindelicorum curam habebat, ad exi-

(1) Vid. de Medicina, Libr. VIII. Cap. 16. in fin.

(2) Vid. v. c. Journal de Médecine par MM. Corvisart, Léroux et Boyer, année IX.

(3) Conf. Larroche, Diss. etc. dans les Thèses de Paris, an. XIII.

exitum fragmentis minoribus conciliandum, et ad illius consolidationem stimulo hoc facilitandam, optimo cum effectu, setaceo usus est: dum Doct. *Rigal de Galliac* idem etiam in usum vocavit in pseudarthrosi tibiae (1). Nuper de novo hanc methodum in Anglia commendarunt *Wardrop* et *Earle* (2).

Whitius primus fuit, qui eo progressus sit audaciae, ut, in novem annorum infante, per sex menses humeri fracturam experto, fragmenta ossea consolidari nescia, fibris musculi tricipitis, ut postea patebat, separata, et non nisi articulo quodam spurio conjuncta, resecari jusserit (3). Scopus hujus operationis ille est, ut fractura inveterata in recentem mutetur, eodem modo, quo in labio leporino, ulcere calloso etc. margines cruentos reddere solent Chirurgi. Plurium autem Artis fautorum infelicior in his experientia docuit, ingeniosum hoc artis auxilium saepe periculi plenum et fallacissimum esse (4). Neque tamen ab altera par-

(1) Vidd. Annales Cliniques de la Société médicale de Montpellier, Juin 1812.

(2) Vidd. Observation sur l'usage du séton dans les fractures non consolidées etc. par Wardrop, trad. par C. T. Maunoir: dans les Mélanges de Chirurgie étrangère par une Société de Chirurgiens de Genève etc. Paris et Genève 1824, Tom. I. pag. 443 seqq. Addition au Mémoire précédent par Brodie; ibidem pag. 370 seqq. Cas de fractures à l'humerus non consolidées, traités par le séton et la potasse caustique, par Earle; ibidem pag. 375 seqq.

(3) Vid. Ch. White, Surgery with remarks, London 1770, pag. 69 seqq.

(4) Vidd. Boyer, Maladies des os etc. Tom. I. pag. 70. Rossi,

parte observationes plane deficiunt, quibus pateat, vel duorum ossium extrema, ut in antibrachio et crure, hoc modo resecari (1), aut in femoris, stratis musculorum crassissimis circumdati, fractura (2), idem auxilium adhiberi posse. Recentiori tempore, hanc fragmentorum resectionem in Gallia etiam fecit Cl. *Dupuytrenus*, qui tamen, a *Whitio* commendatam, agendi rationem non plane secutus est (3). Caeterum methodus haec, quam in Germania, praeter *Langenbeckium*, qui anno 1813 eadem usus est, plures, cum eventu sperato, instituerunt Chirurgi, in Gallia, narrante Cl. *Roux*, non ante annum 1814 in usum vocata est. Atque hujus quidem rei rationem Vir Cl., patriae suae amantissimus et patriae potissimum Artis strenuus defensor, ex eo explicandam esse censet, quod in Gallia ossium fracturae, quarum maxima et aptissima cura habeatur, pseudarthrosin contrahere nequeant, et itaque artis tale auxilium non requirant. Verum haec minus ad verbum accipienda esse, observationes, antea a nobis laudatae, satis probare possunt, quibus exemplum Cl. *Dubois*, in

si, Médecine Opératoire, Tom. II. pag. 190. J. Cloquet; dans le Dict. de Médecine en 18 voll. Tom. IX. pag. 406 seq. in v. *Fracture*.

(1) Vid. Gardeil, dans la Traduction d'Hippocrate. Tom. I. pag. 301 seq.

(2) Vid. P. Pezerat, Observation sur une résection des fragmens d'une fracture non consolidée du fémur; dans le Journ. Compl. du Dict. des Sç. Médic. Cah. XVIII. Déc. 1819. pag. 111 seqq.

(3) Vid. Delpech, Maladies réputées Chirurgicales, Tom. I. pag. 220.

in Nosocomio Facultatis Medicae (hôpital de Perfectionnement) artem suam facientis, addere liceat. Ad jacturam nimirum substantiae, quam imminuta membri longitudo plerumque insequitur, cum operatione hac necessario conjunctam, minuendam, Vir Cl. duplicem instituebat partium, ossis, fracturam experti, extrema circumdantium, incisionem semi-ellipticam: fragmentis hac ratione denudatis, scalpri et mallei auxilio, stratum eorundem superius sive crusta removebatur, dum iisdem forma, a latere leviter complanata, conciliabatur.

Triplici hac methodo proposita, praecepta addere liceat, quae e praecedentibus conjicienda videntur:

1. Quamvis tempus, quod vulgo ad consolidationem fracturae requiritur, transierit, Chirurgus tamen apto fasciarum apparatu curare pergat, ut ejusdem fragmenta rite sibi sint apposita, utque his, per longum tempus, situs sit maxime naturalis atque immobilis.

2. Levis extremorum trituratio, cum cautelis, a *Celso* commendatis, instituta, aliis quibusvis Medicinae efficacioris auxiliis praeferatur.

3. Illa frustra instituta, setaceum adhibeatur, cujus quippe usus pluribus exemplis probatus sit.

4. Extremorum ossis fracti resectio pro ultimo Artis refugio adhibeatur.

5. Summa, qua fieri potest, cura Chirurgus inquirat, an corpora forte aliena, consolidationem impedientia, quo fibras etiam referas musculares, apo-

aponeuroticas etc., ossium fragmentis interposita, inveniantur.

6. Setacei et resectionis usus evitetur, si aegroto non admodum molestum sit malum, vel si huic, fasciarum et ferularum ferrearum auxilio, succurrere possit Chirurgus.

Ultimo loco de alio etiam dicendum est fracturarum consolidationis impedimento, de ossium necrosi nimirum, quae, quamvis ipsius Naturae medicraticis effectus sit, hujus tamen in restituendo illo, quod continui solutionem expertum est, activitatem non quidem turbare aut penitus intercipere, sed maxime retardare, solet. Saepius nimirum in fracturis ossium complicatis, aut in contusionibus eorundem gravioribus, Natura in sanatione perficienda tardissime operatur, neque citius munere suo fungi potest, quia pars quaedam ossis mortua est, atque non, nisi hac parte separata et expulsa, consolidatio et deperditorum regeneratio locum habere potest. Ossis talis emortui et vacillantis fragmenta, si non satis cito naturae viribus expellantur, artis auxilio saepius a Chirurgis extracta esse, plures observationes possunt probare. Carie ossium centrali enim praesente, eorundem trepanationem, qua facta, partes internae emortuae possent exire, Chirurgi non raro instituerunt, ut *Johannes Ludovicus Petitus* v. c. (1) in tibia, et *Jacobus Renatus Tenon* (2) in femore, carie affec-

(1) Vidd. Maladies des os etc. Tom. II.

(2) Vidd. Mémoires de l'Institut national des Sçiences et des Arts, pour

fectis (1). Recentiores autem demum, et Galli potissimum, nondum vacillantem mortuam talem ossis cujusdam partem, cultri aut serrae auxilio, abstulerunt. Quo melius sequens, quae huc pertinet, observatio, quam in Nosocomio Hôtel-Dieu facere mihi licuit, intelligatur, pauca dicenda sunt de modo, quo pars ossis mortua formari videtur atque, ossis sani ratione, conformata esse solet. Notum est, Viros Celeberrimos *Richerand* et *Leveillé* statuisse, nunquam os quoddam in toto suo ambitu necrosi affici posse, sine morte praegressa utriusque periostei, externi atque interni. Hanc sententiam nimis generalem habendam esse, censerem. Verum est, utrumque periosteum ad majorem ossis deperditi partem restituendam requiri: neque tamen utrumque in hac generatione aeque efficax esse videtur. Plerumque nimirum, in tali casu, stratum ossis regenerandum formari videtur a periosteo externo, hunc in finem lympham coagulabilem secernente, quae sensim in osseam naturam convertitur. Novum itaque os partem ossis emortuam includit, atque tunc observata scriptorum locum habent *de osse in osse reperto.* Lamina talis regenerata ubivis plura orificia, ac si trepani corona facta fuissent, relinquit, quae eum in finem

a

pour l'an VI de la République. Sciences Mathématiques et Physiques, Thermidor an. VI.

(1) De hujus operationis historia et observationibus ad eandem pertinentibus, Vid. J. van der Haar, Uitgezochte Genees- en Heelkundige Mengelschriften etc. I Deel, Amsterd. 1798. 8vo. pag. 117 seqq.]

a Natura data videntur, ut internae partes emortuae, per eadem, cum pure possint exire. Si autem, simul cum periosteo externo, totus ossis cujusdam ambitus necrosi affectus et mortuus sit, eandem operationem, secundum *Boyerii* sententiam, peragere potest periosteum internum sive membrana medullaris, quae autem multo tardius hoc opere fungi videtur, uti hoc observationem indicare censerem Doct. *Lebel* (1). — Hisce in meliorem intellectum praemissis, ipsam nunc observationem narrare, atque eadem Capiti huic finem imponere, liceat. Puella, quatuordecim vel quindecim annorum aetatis, contusionem in anteriori cruris parte experta erat. Sequebatur periostei inflammatio, quam fistula excipiebat, inter periosteum ipsum et tibiam invenienda. Per orificium, quo fistula in exteriora hiabat, exploratione facta, de abcessu satis magno, periosteum a tibia separante, judicium ferri poterat. Os itaque, nutritionis praecipuo fonte destitutum, necrosi mox afficiebatur, qua fiebat, ut frustum sat magnum tibiae emoriretur et a reliqua ossis parte abcederet. Periosteum, quod et os sanum et partem mortuam, quatenus haec relicta erat, circumdabat, per longius tempus inflammationem expertum, nova post aliquod tempus exploratione facta, ossificationem pro magna parte contra-

(1) Vidd. Réflexions sur la régéneration des os, accompagnées d'une Observation de nécrose du tibia, comprenant toute la circonférance et toute l'épaisseur de l'os, avec intégrité de la moelle et de la plus grande partie du périoste; dans le Journ. Complém. du Dict. des Sç. Médic. Cah. XX. Févr. 1820. pag. 309 seqq.

traxisse censebatur. Puella morbi exitum in salutem, per sex jam menses, exspectante, Cl. *Dupuytrenus*, die decimo nono Novembris, periosteum, cunei vel scalpri acuminati auxilio, solvebat, atque dein partem tibiae, necrosi emortuam, aggrediebatur, Cuneo vectis adinstar agente, atque tractionibus validioribus institutis, non sine difficultate, pars tibiae mortua, quatuor vel quinque pollicum longitudinem referens, extrahebatur. Post institutam operationem gradus febris non admodum magnus fuit: attamen saepius hirudinum usus requirebatur. Septimo post operationem die, puella satis bene sese habebat, et carunculae meliorem aspectum referebant, dum febris et dolores cessaverant.

J. Salzmann, *Diss. de articulationibus analogis, quae fracturis ossium superveniunt*, Argentor. 1718. 4to.

C. F. Bourbier, *Diss. de necessitate et utilitate eam, in fracturis et luxationibus complicatis, ossis portionem serra discindendi, quae alterius repositioni obnititur*, Argentor. 1776. 4to.

J. Vallet, *Considérations sur la non-consolidation des fractures des os longs, les fausses articulations, qui en sont la suite etc.* Strasbourg 1817. 4to.

DE

DE CALVARIAE FRACTURIS.

Pro varia violentiae externae, caput ferientis, vehementia, impetu ac celeritate, graviores levioresve illi inferuntur laesiones, quae vel in integumentis, cranium extus obtegentibus, tantum, qualia cutis, musculi, aponeuroses, pericranium; vel in calvaria ipsa; vel in involucris cerebri membranaceis simul; vel denique in ipso cerebro sedem suam agnoscunt, atque hinc majus minusve periculum portendunt. Capitis laesiones itaque vel extra cranium sunt, atque de his jam antea locuti sumus, vel cranium ipsum afficiunt, vel denique sedem suam intra calvariam habent. Singulae hae laesiones, quamvis indole maxime differant, hoc habent commune, quod saepe illis destitutae sint symptomatibus, quibus dignosci atque dijudicari possint; quod saepius symptomata habeant mixta atque ambigua; quod illarum vix una adesse possit, quin aliae, per consensum, mox oriantur; quod denique omnes non raro sub levioris et simplicis laesionis specie oriantur, et post aliquod demum tempus indolem suam declarent, periculi plenam atque lethiferam. Quae quum ita sint, operae pretium certe facturi sumus, si Chirurgorum in Gallia de calvariae atque encephali, in eadem inveniendi, laesionibus doctrinam indicaverimus. Quae quo melius intelligatur, a generalioribus incipiendum videtur.

Pro-

Prouti corpus quoddam obtusius aut magis acuminatum, majori vel minori vi, capiti impactum sit, calvaria ipsa vel contusa, vel fissa, vel fracta, vel depressa, vel, in majori minorive fragmento, a cerebro ipso avulsa invenitur. Calvariae contusiones levissimam ejusdem laesionum speciem constituunt, si ad causae laedentis vim et efficaciam attendamus; plerumque enim corpora sunt obtusa, minori vi capiti illata, ut v. c. glandes sclopetariae, exigua tantum vi in caput illapsae. Attamen symptomata graviora, ipsius cerebri laesionem indicantia, contusiones has saepe insequuntur: vasa nimirum, intra calvariam invenienda, ejusdem contusione non raro lacerantur, et sanguinem fundunt, cerebrum, nisi mox resorbeatur, comprimentem ejusdemque functiones perturbantem. — Si potentiae nocentes cum majori vi capiti illatae sint, calvariae fissurae possunt oriri. Dicitur autem cranii fissura solutio continui partialis in osse facta, quae rimae angustioris latiorisve forma se prodit. Non itaque, quemadmodum hoc in fractura obtinet, omnis ossis vel ossium continuitas periit. Diagnosis saepe difficilis est, quum suturae et naturales ossium asperitates Chirurgum fallere possint, quum cranii fissurae in interna ossium lamina, externa plane integra, locum habere possint, et quum contra-fissurae in loco nonnunquam inveniantur, in quo nulla illarum, propter symptomatum defectum, suspicio. — Cranii fractura non tantum magis conspicuam, sed omnino integram, continui solutionem constituit, ita ut frustum ossis solutum, sive fragmentum, majorem minoremve motum admit-

mittat. In calvariae fracturis, quum violentiae externae validiores pedissequas illas habere soleant, dura mater semper fere laesa est; ab altera autem parte, sanguini, ex vasculis ejusdem laesis stillanti, liberior patet exitus, unde non infrequentia sunt fracturarum talium sponte sanatarum exempla. — Si frustum ossis diffractum (sine fractura hoc in infantibus tantum fieri potest) deprimatur, laesi cerebri symptomata graviora, qualia sunt capitis dolores, vertigines, motuum voluntariorum difficultas, paralyses, somnolentia, lethargus, vomitus sympathicus, dysuria etc. mox sequi atque, nisi aptum Chirurgus praestiterit auxilium, mortem aegrotis conciliare solent. — Gravissima capitis laesio in eo consistit, ut ipsius galeae osseae pars, violentiae externae vi, auferatur atque ita major minorve durae matris aut cerebri pars denudetur. Prognosis in tali casu maxime dubia est, quum ne vel haec capitis laesio absolute lethalis sit. Plures enim in fastis Chirurgicis inveniuntur observationes, quibus probatur, Naturam medicatricem, calvariae dedolatione praesente, vel ex ipsius durae matris aut cerebri granulatione frustum osseum deficiens restituisse.

In variis his, de quibus diximus, laesionibus princeps fere et efficacissimum remedium est trepanatio, de cujus usu itaque Gallorum doctrinam, quatenus illam indagare et cognoscere licuit, exponamus.

A tempore, quo *Pottius* (1) trepanationem frequen-

(1) Vid. Perciv. Pott, Chirurgical Works etc. Lond. 1790. V. I.

quentissime, et vel in capitis laesionibus, cum nulla cerebri compressione conjunctis, institui debere voluit, atque *Desaltius* contra ejusdem usum maxime improbavit, plures Chirurgi incerti fuerunt, cujusnam partes amplecterentur, atque hinc trepanationem vel nimis raro, vel nimis frequenter, instituerunt (1). Notum est, *Desaltium*, ultimis quinque vitae suae annis, trepani usum maxime improbasse et penitus illum neglexisse: quae Chirurgi Celeberrimi sententia et agendi ratio non difficilem admittit explicationem. Praxin nimirum in Nosocomio Parisiensi, a Deo nomen habente, facere solitus, aegrotorum curam habebat, nocivae hujus Nosocomii efficacitati (2) expositorum, atque per se jam gravissimorum, quum in Nosodochio hoc,

(1) Sic v. c. Celeb. Mursinna (l. l. pag. 76) et Louvrier (l. l. pag. 31) omne hujus operationis periculum prorsus negarunt (Vidd. Louvrier und Mursinna, Preisschr. über die Frage: Ist die Durchbohrung der Schaedel-knochen nothwendig oder nicht, Wien 1800): dum contra Richterus (A. G. Richter's Anfangsgründe der Wundarzneykunst, Goettingen 1789. II Bd. pag. 55 seq.), Bellius (System der Wundarzneykunst, aus dem Englischen von Froriep. III Bd. pag. 24 et 86.) et Cooperus (Neuestes Handbuch der Chirurgie, übersetzt von Froriep, Weimar 1819 seqq. III Bd. pag. 285, 297) minime periculi expertem, sed vel maximi periculi plenam, operationem hanc esse censuerunt.

(2) Conf. Bichat, Traité des membranes, par Husson, Paris 1816. pag. 220: „ Quant à l'exsudation visqueuse, que laisse „ échapper l'arachnoïde enflammée, elle est prouvée par un très-grand „ nombre de faits. Ce mode de suppuration est si commun dans les „ plaies de tête à l'Hôtel-Dieu, qu'il formoit un des grands argu- „ mens, par lesquels Desault combattoit le trépan, toujours alors „ inutile, puisque cette couche épaisse, visqueuse, adhérente à la „ surface externe du cerveau, ne sauroit échapper par l'ouverture."

hoc, quod dicunt, centrali, graviori morbo decumbentes aegroti auxilium quaerere soleant. Et nihilominus magna fuerunt *Desaltii* de hac operatione merita, quum suas ad indicantium, trepanationem suadentium, doctrinam tribuerit partes. Docuit quippe, quomodo altera calvariae pars altera praestantior aut tenerior sit, et quare, vel nulla laesione externa conspicua, adhiberi nonnunquam debeat trepanatio. Plures praeterea observationes Virum Clarissimum docuerunt, lapsus aliasve potentias nocentes, in regionem ossium temporum vi majori agentes, arteriae meningeae mediae dilacerationem saepissime habere pedissequam, atque tunc nullum praeter trepanationem, citissime institutam, artis superesse auxilium. Observationes nempe has tempore in primis fecit *Desaltius*, quo Nosocomium illud dirigendum suscepit, et quo operationem hanc, ut reliqui, exercere solebat. Mox autem magna malorum, ab ea, ut videbatur, derivandorum, serie edoctus, operationem hanc, cujus incommoda ex antecessoribus jam expertus erat *Boudou*, rarius instituere solebat, eamque denique, cum magno periculo illam conjunctam esse, atque raro, in Nosocomio saltem illo, aegrotis prodesse expertus, prorsus e praxi sua rejecit. — Quaenam etiam *Desaltii*, tempore suo, in Gallia et per universam Europam, fuerit auctoritas, et quid ejusdem doctrina etiam in discipulos, qui ex illius Schola progressi sunt, valuerit, haec tamen, quam, per ultimum vitae suae lustrum, professus erat, de trepani usu sententia asseclas pauciores post-

postea nacta est, plurimis in Gallia Chirurgis de ejusdem praestantia convictis.

Si majores capitis contusiones, nulla fractura, fissura aut depressione manifesta praesente, aut per specilli explorationem invenienda, majorem minoremve calvariae et partium, illam investientium, molliorum plagam deturpaverint, quaestio fieri potest, num trepanatio institui debeat. Chirurgorum in Gallia et Germania idem fere est ad hanc quaestionem responsum: simulac nimirum ipsius cerebri, per stimulum alienum etiam affecti, symptomata prodeant, trepani usum indicatum esse; quippe quo fragmenta aut particulae minores, quae ab interna calvariae lamina, cujus fractura, fissura vel comminutio e symptomatibus illis conjici potest, decesserunt, duram matrem aut cerebrum ipsum irritantia, removeri unice possint. Quod ad fissuras calvariae attinet, experientia docuit, easdem cum vasorum laesionibus non raro conjunctas esse, in primis si vis, qua illatae sunt, et sedes, quam in calvaria habent, laesionem vel dilacerationem hanc verisimilem reddunt; hanc laesionem autem, quae nullam non pedissequam habere debet sanguinis effusionem et cerebri compressionem, eo majus periculum habere, quo angustiores sint calvariae fissurae, sanguinis effluxum versus exteriora impedientes. Tali in casu a trepani usu abstinere solebat *Desaltius*, cujus exemplum in Germania secutus est *Richterus*, trepanationem quoque in talibus aegrotis improbare solitus. *Pottius* vero, *Mursinna* atque *Louvrierius* trepanationem jam ilico tunc adhibere solebant, probe perspicientes, ean-

eandem plerumque frustra institui, si symptomata graviora jam supervenerint. Horum Virorum sententiam plerique quidem, inter nunc viventes Parisienses Chirurgos, amplecti videntur; dolendum autem est, in cadaverum, quae cultro Anatomico, in Nosocomiis, subjiciuntur, calvaria fissuras quandoque inveniri, de quarum praesentia atque loco ipso, quo aderant, in vivo aegroto non satis constabat.

Quum ad fracturam cranii perficiendam causae validissimae ut plurimum requirantur, facile intelligitur, duram matrem non raro simul laedi, aut cerebri affectiones graviores, commotionem v. c., oriri solere. Ab altera autem parte laesarum cerebri functionum symptomata plane nonnunquam desunt et aegrotantes, ut ex observationibus constat, sine ulla operatione saepe sanati sunt. Quamvis etiam humores effundantur, his non raro exitus per ipsius fracturae hiatum conceditur et Natura, arte quiescente, pristinam integritatem restituit: vel interdum quoque fluida illa resorberi atque in massam sanguinis reduci, experientia docuit. Fracturis cranii itaque praesentibus, Chirurgus semper, pro re nata, agere, nullis vero, anxie quaesitis et constitutis, quod ad trepanationem praeceptis universalibus obligare se debet. Nota est Cl. *Pottii* (1) sententia, statuentis, inter decem fracturas calvariae simplices septem trepani usum requirere: in Gallia autem *Quesnayus* multo magis etiam trepa-

(1) Vidd. P. Pott, Chirurgical Works etc., Vol. I. pag. 129.

pani usum in calvariae fracturis commendavit, in quibus forte operationis hujus necessitatem nimis praecepit (1). Hodierni autem Chirurgi Parisienses merito in illa versantur doctrina, quod in calvariae fracturis, minus per se, quam per accidens, indicetur trepani usus, quodque hic ad illos restringi debeat casus, in quibus ipsius cerebri laesi symptomata (sive haec compressionem, a sanguine aliisve fluidis aut ab ossis fragmento factam, sive commotionem graviorem, aliamve causam, agnoscant), ab ipso morbi initio, vel serius etiam, superveniunt.

Trepani usum indicatum esse, si calvariae depressionem cerebri affecti symptomata graviora concomitentur, nemo negaverit, quamvis vel tunc trepanatio, strictiori sensu dicta, evitari nonnunquam possit, elevatorio, folio myrtiformi etc. ad tollendam partem ossis depressam sufficientibus. Trepanatio itaque non indicatur, si nulla cerebri laesi indicia calvariae depressionem insequantur. Fieri enim potest, solam laminam ossium externam versus interiora premi, tabulam autem eorundem internam intactam relinqui, quale quid non tantum in sinubus frontalibus, sed etiam in aliis locis, observari nonnunquam solet. Praeterea au-

(1) „De tous les signes, qui peuvent déterminer à trépaner, on „n'en reconnoît point de plus décisifs que les fractures et les enfon- „cemens du crâne. Ces fractures ne sont pas, même en certains „cas, de simples signes, qui indiquent cette opération, ils sont eux- „mêmes des causes, qui l'exigent." Vid. Quesnay, Précis sur de diverses Observations sur le trépan, dans des cas douteux; dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie, Tom. I. pag. 188 seqq.

autem calvariae fracturae, cum vera depressione conjunctae, nullis hanc compressionis aut commotionis signis insequentibus, sine trepani usu sanatae sunt (1). Idem docet sequens observatio. — Mense Novembri anni 1824, in Nosocomio Hôtel-Dieu, juvenem vidimus, novendecim annos natum, quem, infortunium majus expertum, amici, nihil de aegroto narrantes, in Nosocomium detulerant atque reliquerant. Ipse nulla fere sensus et motus, atque vix vitae exhibebat indicia, dum causa horum symptomatum non occulta sed satis manifesta erat. In fronte quippe, supra orbitam dextram, fractura cranii locum habebat: ossium contusio non aderat, verum pars ossis frontis, dimidiam manus palmam magnitudine referens, et ultra sinus frontales sese extendens, in universo suo ambitu erat diffracta atque interiora versus depressa. Antea indicata, morbum concomitantia, symptomata, remediorum externorum et internorum congruo usu, mox cessabant, superstite tantum manus et brachii sinistri debilitate quadam, aegroto parum molesta. Venae Sectiones saepissime requirebantur; caeterum fomentationum frigidarum usu, sine vulneris integumentorum dilatatione, aut trepani administratione, sanatus est aeger, fronte tamen relicta, quae loco magis declivi deturpata erat, et aliquid simiarum generi analogum, primo in-

(1) Vid. John Abernethy, Surgical Observations on injuries of the head and on miscellaneous subjects, London 1810. pag. 5 seqq. Conf. etiam Thomson, Reports of observations, made in the military hospitals in Belgium. pag. 59 seqq.

intuitu, exhibebat. — Verum rarius adeo innocuam esse calvariae depressionem, sequens, brevissime notanda, morbi historia doceat. — Die tertio mensis Januarii (1825), in eodem Nosocomio receptus est aeger, qui ex alto in terram sese projecerat, atque plures graviores hujus lapsus experiebatur sequelas. Nosocomium intrans frigebat maxime, sine calore fere et pulsu erat, dum motus quoque et sensus silebant. Examine instituto, inveniebantur amplum et profundum vulnus in anteriori calvariae parte; fractura olecrani, cum partium molliorum vulnere; duplex fractura radii, cum ejusdem situ maxime mutato; fractura demum cristae ossis ilei. Delirium continuum adfuit furibundum: hujus effectu factum est, ut de novo ex alto sese projecerit, atque saepius ligamina et fascias solverit. Venae Sectiones saepius institutae sunt; olecrani et radii fracturarum cura est habita; fomenta frigida, quantum per delirium licuit, capiti fuerunt imposita; terebrae autem usus non factus est. Nono aut undecimo, post introitum, die mortuus est. In cadaveris examine constitit, caput radii penitus diffractum, et olecranon ab ulnae corpore solutum fuisse: praeterea in inferiori radii parte fracturam adesse, quae situm illum maxime mutatum effecerat, quem ipsius luxationi potius tribuisses. Pars cristae ossis ilei a corpore suo divulsa inveniebatur. In anteriori calvariae parte magna ossis plaga depressa conspiciebatur, qua cerebrum comprimi videbatur: sanguinis denique, in dextro frontis latere, effusio aderat.

His

His de continui solutionibus, quae in calvaria locum habere et trepani usum indicare possunt, in universum disputatis, nunc de cerebri commotione et compressione dicendum est, quippe quae periculi plenissimae sint nobilissimi hujus organi affectiones.

Commotio cerebri, quae primum ab Expertissimo *Le Dran* paulo accuratius indicata est, laesio cerebri dicitur mere dynamica, quae, per vim capiti corpore obtuso vehementius illatam, aegrotum nervorum sensu et musculorum voluntariorum motu, intra brevissimum temporis spatium, plane destituit. Quod ad laesionis hujus mechanismum attinet, hic e cerebri percussione, per oscillationes, quamvis fere encephali partem afficiente, et non raro organicas laesiones relinquente, explicandus videtur. Commoti cerebri indicia sunt turbatae systematis nervosi actiones, hebetudo, vertigo, somnolentia, virium prostratio, ad quae, si major ejusdem gradus adsit, stupor, lethargus, facultatis motricis, respirationis et circulationis incommoda accedunt. Symptomata haec, ut facile patet, fallacia admodum sunt, neque semper etiam adsunt, ita ut omnem quoque explicationem physiologicam plane respuant (1). Quod ad ejusdem sanationem attinet, Chirurgi in Gallia et Germania in eo conveniunt, quod, nisi a stimulo mechanico corporis alieni orta sit cerebri commotio, trepanationis usum dis-

(1) Conf. F. Simon, Dissertatio, continens quaedam ad cerebri commotionis Theoriam, Berolini 1823.

dissuadeant (1). De reliquorum vero remediorum usu maxime inter se dissentiunt auctores, dum alii fomentationes frigidas, alii calidas et aromaticas suadent; illi in Venae Sectione, hi in medicamentis nervinis et roborantibus auxilium quaerunt: ratio certe quaerenda erit in vario morbi stadio, in quo auctores suam agendi rationem adhibuerunt atque laudarunt. In universum autem sequentes Indicationes praecipuae esse videntur, quibus satisfacere debeamus: 1. Ut stuporem, somnolentiam et reliquas systematis nervosi affectiones curemus; 2. Ut inflammationem cerebri ejusque membranarum arceamus, et hac ratione effusionum, quae formari possint, prophylacticam curam habeamus; 3. Ut hepatis, quod sympathice saepe afficitur, et pessimam morbi complicationem constituit, affectiones morbosas evitare studeamus. — Si de variis auxiliis, quibus his Indicationibus, in Gallia aliisque regionibus, satisfacere student Chirurgi ac Medici, nunc dicere aut eorundem praecipua non nisi enumerare vellem, in longius certe trahi deberet haec disputatio, quare de unius tantum remedii usu dicere liceat, in Italia atque in Gallia, recentiori tempore, frequentissime in usum vocati. Me Tartarum Emeticum innuere, quis est, qui non praesentiat? Quo remedio, in cerebri commotionibus, cum stupore sociatis, praecedenti seculo, jam in majori minorive dosi, ad nervos ventriculi irritandos et universum systema nervosum excitandum, passim in Germania et

(1) Vidd. Louvrier l. l. pag. 6. — Richter, Anfangsgründe der Wundarzneykunst. II Bd. §. 80. pag. 54.

et alibi Chirurgos ac Medicos usos esse, nonnullae morborum historiae, in Diariis (1) inveniendae, probare possunt: quod quum ita sit, mirari certe debemus, idem hocce remedium in Gallia, in majori etiam dosi, ad eundem quidem statum morbosum tollendum, cum longe alio autem Medicorum, illud praescribentium, consilio, nostris temporibus, in usum vocari. A tempore enim, quo Italica, ex *Rassorii* cerebro profecta, doctrina in Gallia asseclas habere incepit, Tartarus Emeticus etiam, optimi remedii antiphlogistici, per revulsionem agentis, virtutes praestare, pluribus Celeberrimis Galliae Medicis atque Chirurgis visus est. Quae sententia quum mentem eorum occupet, non mirandum, quod in Peripneumonia, Phthisi pulmonali aliisque pectoris morbis Tartarum Emeticum, in maxima dosi, praescribant *Laennecus*, Vir Cl. nuper mortuus atque alii, et quod passim, in capitis vulneribus, cerebri commotionibus etc., Nosocomiorum Parisiensium Chirurgi eodem hoc remedio, antiphlogistico, scilicet, utantur. — Neque tamen silentio praetereundum videtur aliud in cerebri commotione auxilium, cujus efficacitatem, in animalibus, experti sunt *Gondret* et *Magendie*. Ille nimirum Vir Doctissimus, fluidi electrici actione, quod a naribus, oculis et auribus in

(1) Vidd. Mursinna und Jenisch, in Mursinna's Journal für die Chirurgie etc. I Bd. 2tes Stück. — In Gallia Tartaro Emetico in cerebri commotione usus praesertim est Cl. Desaltius, remedium tamen hoc, in refracta tantum dosi, adhibere solitus.

in columnam vertebralem dirigebatur, duos in vitam revocavit cuniculos, qui, post ictum gravissimum, manus auxilio in occiput factum, praeter respirationem lentam et convulsivam, nulla vitae exhibebant indicia. Haec Viri Doctissimi experimenta repetiit Cl. *Magedie*, qui eosdem auxilii hujus observavit effectus, et vel eodem animalia, quae post submersionem in asphyxiae statu versabantur, resuscitavit.

Antequam de cerebri compressione dicere incipiamus, illis, quae hactenus de ejusdem commotione disputavimus, duplicem morborum historiam addere liceat. — Die decimo sexto mensis Novembris, in Domo Dei juvenem vidimus, cerebri commotionis signa exhibentem, qui ante tres vel quatuor dies Nosocomium intraverat. Aeger, qui aquae portandae provinciam sustinebat, per scalam descendens ceciderat. Mentis facultates mox perdebat, atque, in Nosocomium delatus, ad quaestiones sibi factas non respondebat, dum corpus nullos motus peragebat, sed in somnolentiae statu decumbebat, quamvis somnus hic satis quietus et naturalis videretur. Venae Sectio, ante aegroti ingressum in Nosocomium, jam in usum vocata, de novo instituebatur et repetebatur, dum hirudines pone aures ponebantur. Hesterna vespera major capitis dolor apparuerat, quapropter in nova Venae Sectione, in Vesicatorio, nuchis imposito, atque in Clysmate purgante auxilium quaerebatur. Per nares sinistras sanguinem etiam reddiderat aeger, indicio forte, sanguinis effusionem in parte sinistra calvariae locum habere. Die sequenti respiratio pa-

parum stertorosa erat: nares sinistrae parvam sanguinis copiam stillabant: capitis dolores aderant vehementiores. Hirudines ad tempora sinistra ponebantur. Vesicatorium pone aures sinistras: Setaceum postea ad nucham. Die vicesimo sexto mensis Novembris, i. e. decimo post introitum die, aegrotum iterum vidimus. Nares sinistrae, de tempore in tempus, sanguinem stillare pergebant. Caeterum autem satis bene sese habebat aeger. Non nisi cerebri commotio adfuisse videbatur: si enim cerebri compressio locum habuisset, paralysis lateris oppositi orta fuisset: si cerebri contusio adfuisset, inflammatio gravior, suppuratio et mors jam secutae fuissent. Dolor capitis restabat, caeterum nec somnolentia nec membrorum resolutio aderat, functionibus naturalibus bene respondentibus. Die ejusdem mensis vicesimo nono, aegrotum postremo vidimus, universae faciei, pone aures sese extendente, Erysipelate decumbentem. Erysipelatis hujus originem e Vesicatorio, pone aures antea posito, explicabat Cl. *Dupuytrenus*, qui dicit, se illud saepius, Emplastro Cantharidum ad nucham aut brachium applicato, ortum vidisse, atque se experientia didicisse, Erysipelas tale optime novo Vesicatorio, ad alium corporis locum posito, sanari posse. Quaeritur, quomodo unum idemque remedium morbi causam constituere, et ejusdem medicationem efficere, possit? Verisimile est, quod *Dupuytreni* responsum est, prius Vesicatorium, in tali casu, irritando tantum agere, et hinc, ut omnia irritantia, Erysipelas posse producere; posterius autem Vesicatorium, ad hujus sanationem, corpori im-

impositum, irritando quidem etiam, sed simul derivando atque evacuando, actionem suam praestare. — Alium aegrotum, quem, die vicesimo septimo mensis Decembris, cerebri commotione decumbentem, observavimus, Erysipelate nato, mortuum vidimus. Aeger hic, post corporis in caput lapsum, sanguinis ex auribus stillicidium exhibebat et de atrocibus capitis doloribus querebatur: mox cerebri commotionis signa apparuerunt. Erysipelas, in facie ortum, per collum, pectus, abdomen et corporis extrema descendebat. Plurimarum hirudinum aliorumque remediorum externorum et internorum usu initio quidem levari videbatur aegrotus. Pleuro-peripneumonia autem cum febre continua oriebatur, et, cum oppressionis sensu, exspirabat aeger. Num, post mortem, capitis autopsia facta sit, et an per hanc notatu aliquid dignum (quod, propter sanguinis ex auribus stillicidium, atque dolores capitis atrocissimos, exspectares) in calvaria aut cerebro ipso repertum sit, dicere non possum.

Quamvis cerebrum variis causis comprimi possit, quales sunt fragmenta ossea depressa, indurationes, cicatrices inaequales, exostoses etc., in universum tamen, si de cerebri compressione loquamur, sanguinis, lymphae aut puris, extra vasa effusorum, vel secundarie formatorum, in cerebrum actionem sive pressionem intelligere solemus. Penitus morbosam hanc cerebri affectionem negare studuit Doct. *Serres*, Nosocomii Parisiensis, quod a Misericordia nomen habet, Medicus primarius, qui Vir Clarissimus in illa versatur sententia, quod symptomata, ce-

cerebri compressioni tribui solita, aliam semper, organicam potissimum, ejusdem laesionem pro causa sua agnoscant. Quae sententia veritati certe parum consentanea habenda videtur. Quamvis enim coma aliaque, quae hydrocephalo quandoque juncta sunt, symptomata minus aquae in cerebrum pressioni, quam quidem causae, qua haec fluidornm secretio obtinet, tribuenda videantur, quum eadem illa Encephali inflammationem comitentur; quamvis praeterea, post cerebri, arachnoïdeae aliarumque ejus membranarum inflammationem, in suppurationis periodo, paralysis, quae locum habet, minus forte ex puris pressione, quam quidem e cerebri organica structura mutata, ejusdem fnnctiones turbante, explicanda videatur, quum cerebri etiam emollitionem aliasve conditiones morbosas insequatur paralysis: omnium tamen temporum experientiam, atque Anatomes pathologicae praecipue testimonium, cerebri compressionem et, quae ex hac oriuntur, symptomata satis comprobasse, crederemus. Compressionem hanc, difficillime dignoscendam (1), pro vario gradu, quo obtinet, lassitudo, fatigationis sensus, ver-

(1) „ Les fractures du crâne sont-elles le plus souvent compli„ quées d'épanchement sanguin? Existe-t-il des signes certains, au „ moyen desquels on peut reconnoître leur existence et le lieu qu'ils „ occupent? Les épanchemens sanguins à la suite de plaies de tête „ peuvent-ils produire tous les accidens, qu'on leur a attribués? Est „ il possible, à l'époque actuelle des connaissances Chirurgicales, de „ prescrire un mode de traitement des plaies de tête?" Ad hasce quaestiones Responsum legas Doct. B. Giraud, in Diatribe: Considérations et Observations sur les plaies de tête; dans les Mémoires de la Société Méd. d'émulat. II année. Paris an. VII. pag. 315 seqq.

vertigo, nausea, coma et animi deliquia indicant, vel etiam paralyses, stupor, urinae et alvi incontinentia, tumor erysipelatosus, circulationis et respirationis turbae ejusdem symptomata sunt. Intelligitur autem, quam facile cerebri compressio cum ejusdem commotione possit confundi, quum multa habeant symptomata similia, et quum utraque affectio non iisdem semper symptomatibus stipetur. In universum vero in cerebri commotione, mox post laesionem factam, in compressione autem, diu saepe post illam, symptomata sese prodere solent; in cerebri commotione symptomata, quod ad vehementiae gradum, maxime sunt mutabilia (cui symptomati multa tribuit *Johannes Ludovicus Petitus*), in compressione magis constantia; in cerebri commotione respiratio plerumque libera, in compressione autem profunda, lenta, apoplectica; in illa facies plerumque pallet, in hac rubicunda et livida est; commotio, illaeso cranio, compressio, fissuris aut fracturis praesentibus, frequens esse solet; in commotione pulsus, post largam Venae Sectionem, minor fieri solet, in compressione pulsus durus, plenus, inaequalis ac intermittens est, et post Venae Sectionem vel idem manet, vel saepe etiam pleniorem se prodit (1). — Quaeritur autem, quaenam in cerebri compressione, a fluido quodam, inter galeam osseam atque duram matrem, aut inter hanc et cerebrum inveniendo, facta, princeps censenda sit Indicatio? Cerebri compressione prae-

(1) Vid. C. H. Dzondi, Lehrbuch der Chirurgie etc., Halle 1824, pag. 263.

praesente, fluidorum, hanc constituentium, nisi magna nimis copia adsint, resorptionem nonnunquam fieri, aut ab arte promoveri posse, omnes fere Chirurgi experientia didicerunt: quamdiu itaque resorptionis spes est, atque symptomata, compressionem indicantia, non ingravescunt, in primis si nulla alia laesio, quae trepani usum indicat, simul adsit, ab hoc abstineat Chirurgus et fluidorum resorptionem promovere conetur. Caeterum autem, si haec fieri nequeat, aut cum securitate exspectari non possit, de trepani usu, hac in conditione potissimum indicato, ne vel negante *Bellio* Viro Clarissimo, Chirurgi in Gallia et ubivis fere conveniunt.

Quod vero ad trepani apparatum attinet, quo Chirurgi Parisienses in Nosocomiis uti solent, nunquam in usum vocari vidi trepanum, manubrio transverso praeditum, trephine dictum. Miratus autem sum, in plerisque Nosocomiis adhiberi coronam trepani conicam, sive abaptistam, superficie externa sulcata, atque clavo, per cochleam sibi juncto, in centro instructam; non autem operationem institui, trepani corona cylindrica, superficie externa laevi atque clavo retractili, sine clavi removendo, praedita. Haec a Gallis fieri, certe mirandum est, cum propter honores, quos *Bichati* (1) memoriae tribuunt, tum propter novorum studium, a quo certe non immunes habendi sunt: ita autem fit, nova et meliora avide saepe recipiun-

(1) Xav. Bichat, Déscription d'un trépan, loc. ad calcem Capitis laudando.

piuntur, mox autem in oblivionem iterum transeunt.

Antequam finem huic Capiti imponamus, mentionem facere liceat auxiliorum, quibus, post operationem institutam, citiorem continui solutionis, in calvaria factae, redintegrationem, recentiori tempore, obtinere studuerunt Chirurgi. Innuimus nimirum notatu dignissima, in Helvetia et Germania, ab Expertissimis Viris *Maunoirio*, *Merremio* et *Walthero* instituta (2), experimenta, quibus patuit, frustum osseum, trepano ablatum, vel etiam aliud, ex animalis viventis calvaria, coronae trepani auxilio, desumtum, ossis vulneri immitti et cum eo iterum consolidari posse. Quod inventum, si ulterioribus, in homine factis, observationibus comprobetur, egregie inservire poterit ad plura incommoda, cum calvariae, quas substantiae jactura comitatur, laesionibus conjuncta, aut easdem insequentia, vel praecavenda vel imminuenda. Experimenta haec ingeniosa Chirurgis in Gallia quidem innotuisse, sed nondum ab iisdem repetita esse, videntur.

Le Tonnelier, *Dissertatio, An fracto cranio semper admovenda terebra?* Paris. 1752.

Ba-

(1) Experimenta haec in Russia etiam instituisse atque descriptutum esse Doct. C. P. W. von Hübenthal, in Hufelandii Diario legi. Vid. Journal der praktischen Heilkunde, November 1825, pag. 108 seqq.

Baron, *An fracto cranio etc.*, Parisiis 1742.

Quesnay, *Précis de diverses Observations sur le trépan dans des cas douteux etc.; dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chir.* Tom. I, pag. 188 seqq.

——— *Précis d'Observations, où l'on expose les differens cas, dans lesquels il est nécessaire de multiplier l'opération du trépan etc.; l. c.* Tom. I. pag. 251 seqq.

——— *Précis d'Observations sur les exfoliations des os du crâne etc.; l. c.* Tom. I. pag. 293 seqq.

——— *Remarques sur les playes du Cerveau etc.; l. c.* Tom. I. pag. 310 seqq.

Petit, *Description d'un nouvel Élevatoire, avec des réflexions sur ceux, qui ont été en usage jusqu'içi; dans les Mémoires etc.*, Tom. I. pag. 302 seqq.

Louis, *Remarques sur la construction et l'usage de l'Élevatoire de* M. Petit; *l. c.* Tom. II, pag. 151 seqq.

Bildahlt, *Dissertatio, An fracto cranio etc.*, Parisiis 1760.

Busnel, *Diss. de Fractura Cranii*, Paris. 1766.

Papillon, *Diss. de Fractura cranii*, Paris. 1766.

Mehee de la Touche, *Traité des lésions de la tête par contre-coup*, Paris 1773.

Lassus, *Mémoire sur les plaies du sinus longitudinal supérieur de la Dure-Mére; dans les Mémoir. de l'Acad. R. de Chir.* Tom. V. pag. 71 seqq.

Examen de la doctrine des auteurs anciens et mo-

modernes, *sur l'application du Trépan à l'endroit des Sutures*; l. l. pag. 80 seqq.

Thouret, *Ergo fracto cranio semper admovenda terebra?* Parisiis 1776.

Dupré de l'Isle, *Traité des lésions de la tête par contre-coup*, Paris 1776.

Grima, *Mémoire sur les contre-coups dans les lésions de la tête; dans les Prix de l'Acad. Royal. de Chir.* Tom. IV. Part. I, pag. 246 seqq.

Saucerotte, *Mém. sur les contre-coups dans les lésions de la tête*; ibidem pag. 368 seqq.

Sabouraut, *Mémoire sur le même sujet*; l. l. pag. 439 seqq.

X. Bichat, *Description d'un nouveau Trépan; dans les Mémoires de la Société Médicale d'émulation etc.*, Vol. II. Paris an. VIII, pag. 277 seqq.

B. Giraud, *Considérations et Observations sur les plaies de tête*; Ibidem l. l. pag. 315 seqq.

Gerard, *Diss. sur les cas, qui exigent l'opération du trépan, à la suite des fractures du crâne*, Strasbourg. 1802.

P. A. Marin, *Considérations medico-chirurgicales sur les plaies de tête avec fracture du crâne*, Strasbourg 1803. avec fig.

J. B. Marie, *Essai sur les plaies de tête, faites par des instrumens piquans, tranchans et contondans*, Paris an. XII.

J. M. Rapatel, *Diss. sur la commotion du cerveau, les épanchemens dans le crâne etc.*, Paris 1819.

Bé-

Bégin, *Mémoire sur les plaies de la tête; dans les Mémoires de la Médecine militaire*, Vol. XIV, pag. 1 seqq.

DE CLAVICULAE FRACTURIS.

Claviculae fracturas frequentissimas esse et saepissime observari solere, ex ipsius hujus ossis conformatione certe intelligendum est; quippe quod, si tibiam et fibulam excipias, omnium facillime frangi possit. Quum enim clavicula situm habeat liberum et prae aliis partibus prominentem, quumque per se debile, longum atque immobile os constituat, neque partibus mollioribus satis investiatur atque fulciatur, ipsum autem, fulcri loco, motui multiplici, a brachiis instituendo, inservire debeat, structura haec ipsa ad fracturas disponere debet, quas situ suo differre constat, pro varia violentiae externae efficacitate atque agendi ratione. Potentia quippe simplici directe in claviculam impulsa, haec eodem, quo potentiae vim experitur, loco frangi solet, dum, si potentiae compositae aut indirectae, per lapsum graviorem in scapulam v. c., actioni exponitur, clavicula, in universum, in media sua parte diffrangitur.

Quum claviculae fractura nunquam fere sine dislocatione fragmentorum, visu, tactu atque auditu percipienda, observari soleat, quumque praeterea humerus versus inferiora et anteriora labatur, atque aegrotus faciem suam parti fractae non obvertere pos-

 sit,

sit, diagnosis plerumque facilis est. Difficilior autem est, si fractura in claviculae extremo Thoracico obtineat, i. e. si sterno proxima sit, quia tunc minor solet esse fragmentorum a se invicem recessus: verum etiam in hoc casu diagnosin fortasse indicabit symptoma, quod magni facit Cl. *Boyer*, in eo positum, ut aegrotus manum ossi frontis admovere nequeat, quia, ut hoc fieri possit, motus circularis requiritur, cujus fulcrum necessarium in nexu claviculae cum sterno sit collocatum. Monendum autem est, symptomati huic fidem minorem tribuere Cl. *Cloquetum*, quippe qui narrabat, se jam trium aegrotorum, in St. Ludovici Nosocomio, curam habuisse, qui libere lateris aegrotantis manum capiti suo imponerent: explicabat peculiarem hanc conditionem Vir Cl. ex eo, quod in his claviculae fracturis (in media ejusdem parte locum habentibus), oblique ab exteriori ad interiora et ab inferiori ad superiora factis, fragmentum externum, interiori impositum, in hoc fulcrum inveniret, quo scapulam, brachio elevando, sufficienter sustentare posset. — De claviculae fracturis, in extremo scapulari factis, optime meruit Cl. *Bichatus* (1). Fragmentorum nimirum deviationem illas non comitari atque adeo diagnosin esse difficillimam, multi observaverant atque in scriptis suis notaverant Chirurgi, causae autem hujus phaenomeni ignorationem fateri, aut perversam ejusdem explicationem proponere solebant. Se-

(1) Vid. Mémoire sur la fracture de l'extrémité scapulaire de la clavicule; dans les Mém. de la Société Médicale d'émulation. IIde année. Paris an. VII. pag. 309 seqq.

Sequenti autem ratione haec optime interpretatus est, Anatomicorum quondam in Gallia princeps, *Bichatus.* Si inter processum coracoïdeum et summum humerum claviculae fractura obtineat, fragmentorum deviatio, secundum ejusdem sententiam, fieri non potest, quia a duplici ligamento coracoclaviculari sustentatur scapula, quae contra, si fractura ad internam illorum ligamentorum partem facta sit, ad anteriora et inferiora cadere et sic claviculae fragmentorum dislocationem facere debet.

Claviculae fracturas, quindecim vel viginti dierum spatio, plerumque autem cum aliqua deformitate, sanari, omnes fere observarunt Chirurgi, atque propterea vix tempus aliquod fuit, quo non de optima claviculae fractae repositione et retentione cogitaverint. Illa facilior est, haec multis difficultatibus premitur. — Quemadmodum antiquior fractae claviculae reductionis ratio, quae in eo posita erat, ut Chirurgus, aegroto in sedili humiliori sedente, genu ad ejusdem dorsum inter scapulas figeret, atque manibus humeros retrorsum traheret, durior, inepta atque parum honesta fuisse videtur, ita etiam fasciarum aut machinarum apparatus, quo, ad reposita fragmenta in situ suo retinenda, antiquiores Chirurgi, vel etiam recentiores nonnulli, uti solebant, scopo, quem sibi proponebant, satisfacere quidem, non autem ad fracturam sine deformitate sanandam sufficere solebat. Referas huc crucem ferream *Heisteri* (1), Tho-

(1) Vid. Institut. Chirurg., Amstel. 1750., Part. I. Lib. II. Tom. I. pag. 192 seqq.

Thoracem coriaceum, quo utebatur *Brasdor* (1), et quem emendavit Doct. *Evers* (2), fascias, quas commendarunt *Boettcherus* (3), *Brünninghausen* (4) et, qui hujus methodum aptiorem reddere studuit, Doct. *Wilhelm* (5). Quas auctores hi commendarunt, methodos mittere debemus, ut encheireses et fasciarum conformationem, a Chirurgis in Gallia propositas, indicare possimus.

Ut triplici satisfiat, quam clavicula fracta in suae sanationem requirit, conditioni, humerus nimirum sursum, extrorsum et retrorsum feratur atque continuo et solertissime retineatur, Clarissimus *Desaltius* primus fuit, qui aptissimam fasciationem proposuerit atque in hac singula, quae in praecessorum fasciis vel machinis inveniebantur, conjunxerit commoda (6). In universum *Desaltiana* hac methodo, quae nimis cognita est, quam ut illam indicaremus, Chirurgi in Gallia utuntur, et de hoc principis sui Chirurgi invento gloriari solent (7). Quum

(1) Vidd. Mémoires de l'Acad. Royale de Chirurgie, Tom. V. pag. 575 seqq.

(2) Vid. A. G. Richter's Chirurgische Bibliothek, V Bd. 1 St., Göttingen 1779, pag. 144 seqq.

(3) J. K. Boettcher, Auswahl des Chirurgischen Verbandes etc., Berlin 1795. mit Kpfr.

(4) Vid. H. J. Brünninghausen, Ueber den Bruch des Schlüsselbeins, Würzburg. 1791.

(5) Vid. P. Wilhelm, Ueber den Bruch des Schlüsselbeins und die verschiedene Methoden, denselben zu heilen, Würzburg 1822. 8vo. mit lithogr. Zeichn.

(6) Vid. Desault, Journal de Chirurgie, Tom. I. Paris 1791. pag. 136—153.

(7) Quum Hippocrates, humerum sursum tolli et brachium ad

Quum autem modus, quo *Desaltius* pulvinum subaxillare firmare solebat, aegrotis plerumque displiceat et gravia saepe efficiat respirationis incommoda, in faeminis potissimum, in asthmaticis, etc., Cl. *Richerandus* cum utroque angulo, quem pulvini basis aut pars superior refert, ligamina conjunxit, quae supra oppositum et sanum humerum firmantur: quae methodus certe, et propter simplicitatem, et propter usum, quem in respirationis difficultate tollenda praestat, commendanda est atque praeferri meretur. — Cl. *Boyer*, cujus methodus etiam non parum inclaruit, fascia utitur, inferiorem Thoracis partem, zonae adinstar, circumdante, simili brachii ipsius cingulo, atque pulvino demum cuneiformi *Desaltii*. Dum fascia, quae Thoracem circumdat, scapulario sustentatur, brachii cingulum, quod vinculo adstrictorio sibi jungitur, habenarum coriacearum auxilio, eidem alligatur, qua encheiresi brachium supra pulvinum, axillae suppositum, figitur ac retinetur (1). Recentiori denique tempore, Viros Doctissimos *Chapel* (2), *Reynaud* (3) et

ad pectus figi debere, Paulus Aegineta autem et Albucasis, pulvinum axillis supponendum esse et humeri fulcrum constituere debere, docuisse jam dicantur, patet, ab his aliquam agendi rationem, ut ipse fatetur, mutuatum esse Desaltium.

(1) Vid. Boyer, sur les maladies des Os, par Richerand, Tom I. pag. 140 seq.

(2) Vid. Dissertation sur un nouveau bandage pour la réduction des fractures des Clavicules, Paris 1810.

(3) Vid. Description d'un bandage, propre à maintenir les fractures de la Clavicule; dans le Bulletin des Sçiences Médicales, Tom. VIII. Nov. 1811. pag. 50 seqq.

et *Jacob* (1), novam iterum methodum proposuit Celeberrimus *Cruveilhier* (2), qui pulvino cuneiformi et duabus fasciis, cubitalem longitudinem et octo vel novem digitorum transversorum latitudinem habentibus, utitur, quarum una tamen in altero suo extremo quinque tantum pollicum latitudinem habet, quae autem latitudo sensim crescit, ita ut, ad octo digitorum transversorum longitudinem, fascia solitam suam latitudinem jam referat: praeterea in hujus fasciae extremis ligamina ad utrumque angulum inveniuntur. Nimis longum foret, si modum, quo Celeberrimus auctor apparatu hoc utitur, indicare vellem, eo quidem magis, quum methodus haec, si simplicitatem et applicationis facilitatem spectemus, illi Cl. *Boyer* cedere debere videatur: negari autem nequit, hanc methodum Doctissimi *Cruveilhier* illa, quam *Chapellius* proposuit, ad quam nimirum proxime accedit, minus compositam et magis congruam esse.

Caeterum vix opus est, ut dicam, non in omnibus Nosocomiis Parisinis eundem adhiberi solere, in claviculae fracturis, fasciarum apparatum. In Nosocomio, a Deo nomen habente, Cl. *Dupuytrenus* methodum *Desaltii* solet praeferre, quod forte etiam propterea jam factum est, quia Nosocomium hoc *Desaltium* ipsum Chirurgum quondam pri-

(1) Exposé de quelques modifications, proposées pour le bandage des fractures de la Clavicule, Thése présentée etc. par F. N. Jacob, Paris 1816. 4to.

(2) Vid. Médecine pratique éclairée par l'Anatomie et la Physiologie pathologique. Cah. I, Paris 1821. pag. 177 seqq.

primarium habuit. Eadem etiam utitur (dans l'hôpital de Perfectionnement) Cl. *Dubois*, cui de Desaltianae methodi commodis probe persuasum est. In Nosocomio Charitatis autem, uterque Chirurgus primarius *Boyer* et *Roux* fasciatione, quae ab illo descripta est, uti solent, atque ita revera optime scopo suo, in claviculae fracturis, satisfaciunt. In Nosocomio, cui St. Ludovici nomen est, a Cl. *Richerandi* methodo, quam indicavimus, non multum differt illa *Cloqueti*, qui Vir Cl., pulvino sub axilla posito et ligaminum auxilio, secundum *Richerandi* consilium, firmato, dolabrae multiplicis, a *Desaltio* institutae, loco, simplici fasciatione circulari, brachium pulvino impositum ad latus Thoracis retinere solet, dum antibrachium in mitella, quae ab humero sano pendet, quiescit.

Le Vacher, *Dissert. de Fractura claviculae*, Paris. 1766.

Disdier, *Dissert. de Fractura claviculae*, Paris. 1768. 4to.

Brasdor, *Mémoire sur la fracture de la Clavicule, et Description d'un nouveau bandage pour cette fracture; dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie*, Tom. V, Paris 1774, pag. 575 seqq.

Observations sur les Fractures de la Clavicule; dans le Journal de Chirurgie par Desault, Tom. I, Paris 1791, pag. 136 seqq.

DE FRACTURA COSTARUM.

Quamvis costae aequali fornicata sua figura, cartilaginea et elastica cum sterno conjunctione atque, quae hinc pendet, mobilitate sua, minus in fracturas proclives esse videantur, hae tamen saepissime observantur, et ne vel primae et secundae costae, a clavicula pro maxima parte tectis, parcere solent. Magna attamen superficies, quam Thorax refert et in quam potentiae nocentes externae vario modo agere possunt, atque ipsarum costarum teneritudo aliquomodo fracturarum, quae in his partibus observantur, frequentiam explicare possunt. Violentiae autem illae externae vel simplices sunt, vel compositae et magnum Thoracis ambitum simul afficientes; praeterea vel ab anteriori parte, vel a latere, Thoracem ferire solent. Potentiae simplices, ut ictus v. gr., directe in costam impulsae illamque frangentes, eandem versus interiora pellunt, dum potentiae magis compositae, quae in utrumque costarum extremum agunt, versus exteriora illas urgent easque in media fere parte frangunt, quale quid observamus, si v. c. currus rota supra Thoracem trahatur: eadem ratione, potentia nocente, in hoc illove Thoracis latere, costas feriente, hae versus interiora franguntur, dum, si ab anteriori potentia illa accedat, eaedem versus exteriora frangi solent. Quaeritur autem, num revera in costis, fracturam expertis, frag-

fragmentorum dislocatio locum habere possit. Notum est, ad hanc quaestionem negando nonnullos respondisse Chirurgos, quorum sententia digna est, quae indicetur. Quod ad dislocationem attinet longitudinalem, alterum costae fragmentum alteri nunquam imponi posse, propter nexum firmiorem, quem ambo costarum extrema cum vertebris et sterno habent, jure statuisse videntur. Quaeritur autem, an haec fragmentorum dislocatio locum habere nequeat, si costa in duplici loco fracta sit, aut si plures costae simul fracturam expertae sint. — Dislocationem autem verticalem, i. e. in inferiora aut superiora, fieri non posse dicunt, propter aequalem singulorum musculorum intercostalium actionem atque potentiam. Alii hunc fragmentorum a se invicem recessum locum habere statuunt, si fractura costae obliqua sit, et inaequalis itaque in ejusdem superiorem et inferiorem partem inseratur fibrarum muscularium numerus. Vereor autem, ne explicatio haec nimis subtilis et speciosa habenda sit. — Quod demum ad dislocationem versus interiora aut exteriora attinet: negarunt hanc *Andreas Vacca Berlinghieri* (1), *Richerand* (2) et *Giraud* (3); quorum Virorum sententiam, ab illa aliorum maxime receden-

(1) Vid. Mémoire sur les fractures des côtes; dans les Mém. de la Société Médicale d'émulation. année III. Paris an. VIII. pag. 151 seqq.

(2) Vid. ibidem pag. 158 seq. Conf. Nosogr. et Thérapeut. Chirurgic. l. l. Tom. II. pag. 50 seqq.

(3) Vidd. Mémoires de la Société Médicale d'émulation, l. l. pag. 159.

dentem, praeter multiplicem experientiam, Anatome pathologica improbare aut confirmare poterit. Quamvis concedamus fracturarum, quae in postica costarum parte, musculis crassioribus tecta, aut in hominibus obesis locum habent, diagnosin difficultatem suam habere posse, ab auctoribus tamen dissentire debemus, fractarum costarum scrutinium semper difficile esse statuentibus. Si enim loco illi, de cujus dolore queritur aeger, manum imponamus, aegroto profundam inspirationem instituente aut tussiente, crepitationem aliquando audire, et mobilitatem, vel saltem abnormem costae aut costarum conformationem, et accedentem partium molliorum tumorem etc., sentire possumus, aegroto simul majores dolores persentiente. Si praeterea digitis singulas costas, ab anteriori ad posteriorem partem, tangamus et exploremus, de fracturae praesentia vel absentia judicium plerumque ferri poterit. Si autem non fractura completa, sed infractio tantum, locum habuerit, parum refert, num certiores de diagnosi simus, quum incompleta talis costarum fractura nullum artis auxilium requirere soleat.

Symptomata, quae costarum fracturas nonnunquam insequuntur earumque periculum non parum augent, sunt organorum pectoralium laesiones traumaticae, commotio, Pleuritis, Pneumonia, Haematothorax, Emphysema, Haemoptysis, vasorum intercostalium laesio. Quum itaque costarum fracturae varios admodum habeant gradus, intelligitur, quam caute statui debeat Prognosis, et quam verum in his

etiam

etiam sit *Heisteri* (1) praeceptum: « Igitur quaudo « nunc leviores, nunc graviores ossium fracturae sunt, « prudentioris sane Chirurgi est, ut praedictiones « suas ita semper instituat, ut non fractae solum, sed « juxta positarum quoque partium indoli, loco ossis « fracti, malis supervenientibus, hominis item aegri « temperamento sive habitui sive aetati, rebus de- « nique circumstantibus aliis, quam maxime res- « pondeant." Praecepti hujus veritatem sequentes etiam confirmare possunt observationes. — Adultae aetatis vir, qui pulmonum catarrho jam diu laboraverat, propter unius costae fracturam, in Nosocomium Dei recipitur. Illius in hanc, et hujus in illum, non salutare fore momentum, praesentiri poterat: propterea mox Pleuritis topica orta est, i. e. inflammatio illius pleurae partis, cui fracta costa respondebat. Pleurae inflammatio apto remediorum usu sanata est: qua occasione, topicas tales, a causa traumatica factas, inflammationes non adeo periculosas esse, exemplis illustravit *Dupuytrenus*. Monebat nimirum Vir Cl., integumentorum et reliquarum partium, in lithotomia sectarum, inflammationem nullum periculum plerumque habere, minime autem inflammationem vesicae et partium huic adjacentium: simili modo, post herniotomiam, partium, quae continui solutionem expertae sunt, cutis et telae cellulosae, inflammationem magis impune ferri, quam illam peritonei aliarumque partium. Quae quamvis ita sint, quisque tamen intelligit, in costarum fracturis, solum, ut ita

(1) Vid. l. l. Tom. I. pag. 172.

ita dicam, vitae periculum a partium nobiliorum inflammatione pendere. — Virum, quinque vel sex costarum, in latere sinistro, et claviculae, in latere dextro, fracturam expertum, in eodem Nosocomio decumbentem, videre licuit. Aegrotum non sine magna partium deformitate sanatum esse, intelligitur, quum nulla ad claviculam restituendam encheiresis, et nullus, ad eandem retinendam, apparatus administrari potuerit.

Quod ad auxilia attinet, costarum fracturis ab arte praestanda, nullam peculiarem, in Nosocomiis Parisiensibus, observavi, ad fracturas illas sine deformitate sanandas, agendi rationem. Simplici nimirum utuntur fascia latiori sive mantili, cinguli adinstar Thoracem circumdante (bandage du corps).

F. M. Disdier, *De Costarum fractura*, Paris, 1764, 4to.

Viole, *Dissert. de Costarum fractura*, Par. 1788.

DE FRACTURA OSSIS FEMORIS.

Notum est, fracturas ossis femoris, si reliquarum corporis humani partium rationem habeamus, inter minus frequentes referri debere, atque hanc femoris frangendi difficultatem explicandam esse, cum ex ipsius ossis firmitate atque crassitie, tum e stratis musculorum, illud investientium, crassioribus

bus et aponeurosi sua firmioribus. Propterea etiam femoris fracturarum numerus, quas Parisiis observavi, non adeo magnus est, quamvis tamen in Nosocomio Hôtel-Dieu, quotidie fere novos aegrotos, fracturas ossium expertos, recipiente, plures, sex mensium tempore, femoris fracturas observaverim, quam quidem, ut verisimile est, per sex annos iterum observaturus sim. Pauca itaque de hoc etiam fracturarum genere monere liceat, praecipue quum haec ad intellectum illorum, quae de colli ossis femoris fractura, data opera, dicturi sumus, aliquid factura videantur.

Femur ipsum, si ejusdem collum Chirurgorum more excipiamus, totidem certe locis frangi potest, quotidem partibus instructum est, potentiarum nocentium externarum efficacitati expositis: ut autem distinguatur tantum, ubi revera distinguendum est, omnes ejusdem fracturae, situs ratione, ad triplicem referuntur speciem, ad illas nimirum, quae in superiori, inferiori ac media ossis parte obtinent. In utroque posteriori loco pleraeque femoris fracturae locum habent, dum fracturae loco altiores, ad trochanterem inveniendae, plerumque non nisi infantes atque senes infestare solent. — De variae hujus fracturae diagnosi non est, quod dicamus, quum de auxiliis tantum, quibus in femoris fracturis Chirurgi in Gallia uti solent, disserendum esse videatur.

In universum Gallorum Chirurgi, in sanandis ossis femoris fracturis, methodum Desaltianam sequuntur atque Pottianae et Bellianae hanc praeferunt. *Desaltius* nimirum, ad femoris fracturas sine de-

deformitate sanandas, extensionem continuam, donec firma fractorum consolidatio facta sit, necessario requiri censebat. Uti aliis, ita sequenti potissimum observatione, sibi de extensionis hujus necessitate persuasum esse, scripsit *Desaltius*. Faber tignarius simul cum femoris fractura extremitatum inferiorum exhibebat Paralysin. Hac persistente, femur diffractum, in deligationis apparatu laxiori et parvam tantum extensionem faciente, eandem, quam femur sanum, retinebat longitudinem. Paralysi autem, post moxae applicationem, sanata, femur diffractum brevius inveniebatur, atque, ad tollendum hunc musculorum contractionis effectum, deligationis apparatus requirebatur, quo extensio perpetua institui posset. Ad apparatum hunc Desaltianum pertinent: 1. Pannus linteus (porte-attelle), femoris et cruris longitudinem habens atque illa instructus latitudine, ut thoruli straminei, interiori et exteriori femoris parti supponendi, ter aut quater in ejusdem marginibus circumvolvi possint. 2. Fascia octodecim aut pluribus capitibus instructa. 3. Ferulae ligneae tres, interna parum brevior, superius excavata, ad pedem extremum usque descendens: externa longior, cingulo latiori circa pelvim ducto firmanda, a crista ossis ilei usque ad aliquam, infra plantam pedis, distantiam descendens, et ad extremum suum inferius foramine quadrato oblongo instructa, quo ferula inferius alligari atque extensio iustitui possit: ferula tertia multo brevior, ad genu usque sese extendens et infra femur fractum ponenda. 4. Lintea compressa duplicata, ad tegendum femur inservientia. 5. Pul-

Pulvini longiores tres, stramento conciso impleti, sub ferulis ponendi. 6. Sex vel septem ligamina, in laquei formam ponenda et ad universum apparatum firmandum facientia. Quum apparatum hunc plerique non tantum Chirurgi in Gallia, verum etiam Germani atque nostrates adhibere soleant, non opus est, ut ejusdem applicandi rationem indicemus. — In Nosocomiis Parisiensibus, in quibus femoris fracturas observare licuit, *Desaltii* hunc apparatum semper in usum vocatum vidi, dum eodem, aqua Saturnina humectato, simili, qua nostrates, ratione utebantur. Pottianam methodum Chirurgi in Gallia quidem experti sunt, eandem autem penitus reliquisse videntur. Quod autem ad agendi rationem attinet, qua *Bellius* uti solebat, monendum est, cum hujus Viri Clarissimi methodo maximam quidem convenientiam habere deligationis apparatum, quem in colli femoris fracturis *Dupuytrenum* adhibere postea dicemus, in femoris ipsius autem fractura methodo hac nunquam, quantum equidem scio, Chirurgos Parisienses uti solere. Patet hinc utramque hanc methodum et *Pottii* et *Bellii*, quam Angli semper in usum solent vocare, in Gallia fautores suos non invenisse; Desaltianam autem agendi rationem, cum in Gallia, tum in Germania atque patria nostra, si non simplicissimam, aptissimam saltem judicari.

Diximus antea, partium molliorum vulnera atque ulcera, quibus extremitates corporis inferiores infestantur, Gallorum Chirurgis sanatu difficiliora plerumque videri, atque experientiam ipsam sententiam hanc non raro comprobasse. Eadem res est

cum

cum fracturis, quae in femoris aut cruris ossibus obtinent. Verum quidem est, a nobis etiam fracturas has illis humeri aut antibrachii graviores judicari: neque tamen nostrates, quod curae Medicae rationem spectat, inter fracturas has distinguere solent. Parisiis autem, in fracturis, femur aut crus occupantibus, Venae Sectionibus saepius, quam in humeri aut antibrachii fracturis, Chirurgi uti solebant atque diaetam strictiorem etiam praescribere videbantur.

Primipara (quam die primo mensis Novembris observavimus), novendecim annos nata, quae in ultimo graviditatis mense versari atque brevi paritura videbatur, per vim externam majorem, cum vehementia illatam, femoris fracturam patitur, magno partium ambientium tumore sociatam. Fractura haec per se minus periculi habere censebatur, quia autem in gravida obtinebat, metuendum videbatur, ne partus secuturus foret admodum dolorosus. Musculorum enim omnium, partus tempore, contractione involuntaria, ossa fracta e loco recedere, convulsiones etc. obtinere possent, uno verbo, indicatio oriri posset partum, forcipis auxilio, quam citissime absolvendi. Praeter spem et opinionem autem omnia evenerunt. Die 15to ejusdem mensis, partum habuit facilem, promptum et fere sine doloribus, quod certe in primipara dignum est, quod mireris. Die 30mo mensis Novembris, qui decimus quintus a partu et tricesimus a fractura erat, puerperam vidimus, femore consolidato, cum infante suo, optima sanitate fruente, in lecto decumbentem.

Mense Januario anni 1824, in Nosocomio Hôtel-

Dieu

Dieu aegrotum vidimus, qui fracturam femoris dextri obliquam et partium molliorum vulnus exhibebat. Fragmentorum consolidatio per plures hebdomades frustra exspectabatur, atque circa vulnus phlyctaenae demum ortae sunt et Gangraena apparuit. Consolidationis hujus tardissime locum habentis causa in frequentiori posita erat fragmenti superioris ab inferiori remotione, quae ipsius aegroti culpa aliquoties locum habuerat. Fasciarum enim aut apparatus continentis renovatio quotiescumque instituebatur, caput aeger semper in altum tollebat, dum fracturae videndae cupidissimus erat. Quae curiositas quomodo aegroto nocuerit, vix opus est, ut indicem. Motus hic nimirum dum instituebatur, pectus, ut musculi sterno-cleido-mastoidei caput in anteriora flecterent atque levarent, punctum fixum esse debebat, figi autem non poterat, sine musculorum abdominalium contractione, qui iterum non contrahi possunt, sine eo, ut in fasciam latam et muculos femoris agant. Ex hac *Dupuytreni* explicatione intelligitur, quomodo aegrotus simplici illo capitis motu sibi nocuerit.

Belloq, *Description d'une machine pour les fractures obliques du corps du fémur etc. dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie.* Tom. III., Paris 1757, pag. 233 seqq.

J. Le Bas, *De fractura femoris Theses Anatomicae et Chirurgicae*, Parisiis 1764. 4to.

Desault, *Fractures obliques de l'extrêmité inférieure du fémur avec séparation des condyles;*

 dans

dans le Journal de Chirurgie, Tom. I, pag. 237—250.

Desault, *Observations* (XI) *sur la fracture du corps du fémur*; ibidem Tom. II, pag. 311—322.

DE FRACTURA COLLI OSSIS FEMORIS.

Si femoris collum fractum est, diagnosin esse difficillimam cum experientia et Celeberrimorum Chirurgorum testimonium, tum ipsius rei ratio docent. Quamvis enim probabilis videatur *Desaltii* sententia, colli femoris fracturas Graecis et *Galeno* potissimum non incognitas fuisse, statuentis, historia tamen docet, nec *Galenum*, nec illum insequentes Medicinae ac Chirurgiae fautores, fracturam hanc a femoris luxatione distinguere potuisse. Si Chirurgorum de difficultate, quam hujus morbi diagnosis habet, testimonium velis habere, apud omnes, sive Anglos, Germanos ac Gallos, sive Italos atque Hollandos propterea consulas, easdem fere querelas invenies. Ipsa denique rei ratio, id est colli femoris et hoc ambientium partium conformatio, diagnoseos difficultatem etiam indicat, quippe quum ad femoris collum, stratis musculorum crassissimis tectum, manui et digitis explorantibus liber haud concedatur aditus, neque per crepitationem facile de partium fractarum ratione certior fieri possit Chirurgus. Quae quamvis ita sint, plura tamen sunt signa, e quibus collum ossis femoris fractum conficere, et certo nonnunquam statuere possit. Ipsa rei dignitas postu-

tulat, ut haec symptomata enumeremus atque Gallorum observationes, ad theoreticam morbi cognitionem facientes, breviter etiam indicemus.

1. Chirurgus, si ad aegrotum accedat, cui, dum femur ipsum nullibi fracturam expertum est, collum femoris fractum aut caput ejusdem luxatum esse credit, a priori jam aliquo jure concludere potest, colli fracturam, non autem femoris luxationem, locum habere, experientia quippe docente, illam hac multo frequentiorem esse (1). Quum enim ossis femoris caput in acetabulo, insignem cavitatem referente, non tantum margine, vel annulo, qui acetabuli altitudinem haud mediocriter auget, cartilagineo, undique prominente, fulciatur, verum etiam ligamento transverso atque tereti seu triquetro in cavitate sua retineatur, atque praeterea ligamento capsulari, articulum circumdante, reliquis crassiori et firmiori, et musculis glutaeis aliisque magis etiam firmetur, facile intelligi potest, femoris luxationem rarissimam esse debere. Femoris collum contra, quod in viris angulum centum triginta quinque graduum cum corpore efficit, et in faeminis magis etiam ad angulum rectum accedit, in fracturas magis

(1) Vid. A. Flach (praeside J. Salzmann), Dissert. de luxatione ossis femoris rariore, frequentiore colli fractura. Argentorat. 1723. 4to: in Halleri Disputat. Chirurg. Select. Tom. V, Lausannae 1756, pag. 341 seqq. Conf. F. Ruysch Vir. Cl., qui loco mox laudando scripsit: „Dictus magister Borst, qui in suo „officio uberiorem habuit occasionem anuum cadavera aperiendi, mi- „hi retulit, sese octies aperuisse anuum claudicantium cadavera, et „semper invenisse, ossa in collo fuisse fracta, et ne ullum quidem „exarticulatum."

gis pronum esse debet, praecipue quum gracilitate, textura spongiosa, quae tenuissima tantum solidae substantiae lamina tegitur, proclivitas haec debeat augeri (1). Ita ut jure dixerit *Ruyschius* (2): « Os femoris fracturam facile patitur in suo collo, « propter ejus teneritatem; collum enim maxima « parte constat ex osseo-spongiosa substantia, in- « star diploes cranii, quae substantia obducta qui- « dem lamella ossea dura, veruntamen illa est ad- « modum tenuis, hinc facilius frangitur, quam ut « articulus suo loco excidat."

2. Si aegrotus narrat, fracturam lapsu in trochanterem majorem factam esse, Chirurgus jam, quemadmodum hoc optime monuit *Sabatierius* (3), de verisimili colli femoris fractura cogitare debet, in primis si senex ille sit, aut emaciatum habeat corpus. Quamvis enim, post lapsum in pedes extremos aut in genua, haec fractura obtinere etiam soleat, post lapsum in trochanterem tamen eadem frequentissime oritur. Inter triginta colli femoris fracturas, quas observavit *Desaltius*, viginti quatuor per lapsum in latus ortae erant (4).

3. Tempore, quo fracturam patitur aeger, dolores sentit vehementiores, et fragorem singularem nonnunquam audire sibi videtur.

4.

(1) Legi merentur, quae de his monuit Cl. Larreyus, in Journal Complément. du Dict. des Sç. Médic. Cah. 30, Dec. 1820., Tom. VIII, pag. 98 seqq.

(2) Vid. Thesaur. Anatom. VIII, Amstel. 1709. pag. 62 seq.

(3) Loco laudand. pag. 631.

(4) Sic in Nosocomio Hôtel-Dieu faeminam vidimus, quae, post-

4. Post lapsum, motus femoris voluntarii mox cessant, ita ut hoc ad pelvim flecti nequeat, et aegrotus surgendi facultate destituatur. Neque tamen hoc symptoma constans ac perpetuum esse, exempla quaedam docere possunt. In Actis Academiae Chirurgicae Parisiensis (1) observatio narratur de juvene, qui post lapsum, quo femoris collum fractum erat, domum se contulit et sequenti etiam die surrexit. Cl. *Boyerius* observationem narravit Viri, qui, colli femoris fracturam expertus, per plures dies, baculo usus, pedibus incedere potuit. Clarissimum denique *Kluyskens*, Chirurgiae Professorem Gandavensem de faemina narrantem audivi, quae, collo femoris, per lapsum in trochanterem majorem, fracto, non tantum surrexerat, sed per quinque adhuc dies pedibus incesserat.

5. Pes, cujus collum femoris fractum est, brevior redditur. Quum nimirum fragmentum colli superius corporis pondere deorsum prematur, atque inferius contra, musculorum se contrahentium potentia, sursum trahatur, duplex in hac fractura dislocationis causa est. Si autem fragmentorum extrema a ligamento capsulari retineantur, dislocatio haec nonnunquam parva est atque ejusdem effectus minus conspicui sunt. Praeterea *Louisii*, *Duverneyi*, *Sabatierii*, *Boyerii* aliorumque experientia constitit, nonnunquam post plures demum dies, dis-

postquam Cataractae operationem subierat, per infortunium e lecto suo cecidit et colli femoris fracturam experta est.

(1) Vidd. Mémoires de l'Acad. royal. de Chirurgie, Tom. IV, pag. 638 seq.

dislocationem hanc cum imminuta pedis longitudine locum habere.

6. Modica pedis extensione et contra-extensione eidem naturalis longitudo conciliari iterum potest, quae eadem potentia non restituitur, si femur luxatum est. In luxatione praeterea, si pes brevior est, ejusdem digiti simul interiora spectant, dum, si longior est, versus exteriora tantum vertuntur (Vid. N. 9).

7. Trochanter major minus prominet et propius ad cristam ossis ilei accessit, quare etiam, si movetur, multo minus circuli segmentum describit, in primis si fractura in basi colli locum habuit et a femoris capite remota est. Ad cujus symptomatis dignitatem *Desaltius* in primis respexit.

8. Nates in latere aegroto plerumque magis rotundae sunt, earumque musculi relaxati. — Femur, in cujus collo fractura obtinet, a femore sano sine dolore removeri nequit, dum contra, si huic magis admovetur, aegroto doloris levamina conciliantur.

9. Genu paulisper exteriora versus inflexum est, et calcaneus introrsum vertitur, quamvis facile hic in exteriora duci possit. Pedum digiti contra exteriora versus labuntur, quamvis *Ambrosius Paraeus*, *Johannes Ludovicus Petitus* et *Desaltius* digitorum pedis rotationem in interiora etiam observaverint. Quae exempla quamvis cautiores nos reddere debeant, inter rariora tamen referri merentur. Calculum enim *Desaltii*, statuentis, in colli femoris fracturis, digitorum pedis in exteriora inclinationem ad illam in interiora esse, uti octo ad unum, experientia neutiquam comprobari, testimonia

nia docent *Boyerii* atque *Cloqueti.* Ille, qui in Arte senex, nunquam, in longissima sua praxi, digitorum pedis rotationem in interiora, in colli femoris fracturis, observavit. Hic autem, qui doctrina et Arte magis quidem, quam aetate, provectus, in sexaginta, et quot excurrit, colli femoris fracturis, eandem semper observationem fecisse fatetur.

10. Nonnunquam ossium crepitatio auditur, si extrema fracta moveantur. Ad quam crepitationem perspicue magis audiendam, Cl. *Lisfranc* aliique Parisienses Chirurgi Stethoscopo usi sunt, cujus auxilio crepitationem se semper audivisse affirmant. Cl. *Lisfranc*, hunc in finem, Stethoscopi tubum anteriori cristae ilei parti, ipsi femoris cum osse innominato articulationi, vel et aliis femoris locis imponere solebat. Illustrissimus autem *Larreyus* crepitationem sine auribus armatis optime percipi posse affirmat.

Quum collum femoris triplici loco frangi possit, in superiori nimirum parte, quae cum ossis capite coalescit (1), in parte media et in parte inferiori, quae cum trochantere majori conjungitur, sive, aliis verbis, quum ejusdem fractura vel intra vel extra ligamentum capsulare fieri possit, quaeritur, num utraque haec fracturae species, quae Prognoseos respectu praecipue differt, distingui possit. Hanc quaestionem omnes fere Chirurgi silentio praeterierunt, probe convicti de difficultate, quam harum specierum diagnosis habet. Quare aliquam forte utilita-

tem

(1) Quale exemplum recensuit Morgagnius; Vid. De Sedibus et Causis Morborum, Epist. LVI. N. 10.

tem habebit symptomatum, quae tamen nec semper observantur, nec in omni casu sufficiunt, ad utramque fracturae speciem dignoscendam facientium, indicatio. Symptomata autem haec sunt sequentia.

1. In colli femoris fractura, quae extra ligamentum capsulare obtinet, membrum fractum brevius redditur, quam si contrarium locum habet: nil enim in casu priori impedit, quo minus fragmentum inferius actioni musculorum, illud sursum et extrorsum trahentium, obediat, dum, si fractura intra ligamentum capsulare obtinet, fragmentum inferius ipso hoc ligamento retinetur.

2. Fracturam, extra ligamentum capsulare factam, acerbi dolores semper concomitantur, si femur fractum movetur, quia fragmentum colli inferius musculos terit et dolores acutissimos aegroto conciliat.

3. In fractura, quae extra ligamentum capsulare obtinet, crepitatio multo manifestior est, quam in altera specie.

4. Chirurgus, si fractura colli femoris externa locum habet, motum femoris rotatorium, quamvis maximis doloribus stipatum, facilius instituere potest, quam in fractura colli femoris interna vel intra-articulari, quia, hac locum habente, ligamentum capsulare, fragmento inferiori adhaerens, motui huic impedimentum offert.

5. Trochanter major, si femur in pelvim flectitur, in fractura intra-capsulari, in semet ipsum, sub cardine quasi, movetur, dum in fractura externa circuli segmentum pro parte describere potest.

6. Fractura colli femoris interna cum epiphyseos ab apophysi separatione posset confundi; hic autem

tem error innocuus foret, quum utraque fractura eandem exigat indicationem. Uti e Dyscrasia, si quae adsit, ita ex aetate potissimum diagnosis confici posse videtur; epiphysium nimirum ab ossibus recessus non nisi juniori aetate, ossificationis periodo nondum peracta, locum habere solet, dum contra colli femoris fracturae in adultis et illis, qui jam senium vivere incipiunt, frequentissimae sunt.

His symptomatibus si fractura colli femoris intra-trochanterica ab intra-capsulari distingui possit, magnum hoc usum habebit ad prognosin bene instituendam. Colli femoris quippe fracturas externas optime saepe a Natura sanari, experientia probavit, quum praecipua, quae ad generandum callum requiritur, conditio. aequalis nimirum utriusque fragmenti nutritio, adsit. Alia autem non raro res est cum colli femoris fractura, intra ligamentum capsulare facta, quum Chirurgorum observationes atque specimina anatomico-pathologica doceant, Naturam hoc in loco non tantum turpiter, et in motuum, a femore peragendorum, detrimentum sanare, sed nullam saepe ossis integritatem restituere, solere. Atque sic ad quaestionem illam saepius agitatam pervenimus, num nimirum collum femoris, intra capsulam fractum, per callum conjungi iterum possit. Notum est, variorum auctorum ad hanc quaestionem responsa admodum inter se differre atque Anglos in primis calli in fractura illa genesin inter ἀδύνατα retulisse, plerisque contra in Gallia Chirurgis, collum femoris, intra capsulam articularem fracturam expertum, callo iterum consolidari posse, statuentibus, quam sententiam, auctoritate in primis

Virorum Clarissimorum *Desaltii*, *Boyerii*, *Dupuytreni*, *Richerandi* aliorumque, strenue tueri conantur.

Argumenta, quibus Angli sententiam suam defendunt, vel saltem defendere student, sequentia fere sunt.

1. Prima, quae, ut callus in qualicumque fractura formetur, requiritur, conditio ea est, ut utrumque fragmentum sufficientem sanguinis quantitatem accipiat et aequali fere vitalitatis gradu instructum sit. Illa conditione deficiente callus difficulter formatur, quemadmodum hoc senes docent, in quibus, propter vasorum, quae ossa perreptant, capillarium inertiam, calli genesis plerumque lente vel prorsus non procedit. Jam vero fractura, de qua loquimur, locum habente, ad fragmentum colli superius vasa tantum perveniunt, quae per ligamentum teres ad caput femoris accedunt: fragmentum itaque illud vix sanguinem, qui ad nutrititionem requiritur, accipere videtur, dum minime illam concipere potest inflammationem, quae ad callum formandum requiritur. Docente enim Cl. *A. Coopero*, inflammatione, quae post fracturam colli femoris intra-articularem obtinet, ligamentum capsulare et membrana synovialis incrassantur quidem atque synoviam spissiorem secernunt, fracta autem extrema ad callum osseum generandum minime disponuntur. Vitalitatis porro gradum in superiori ac inferiori colli fragmento minime esse aequalem, observatio probare videtur, qua constitit, superius fragmentum saepe absorptione sensim imminui et

vel

vel totum deleri, inferius contra tumescere saepe et callo exsuperante tegi.

2. Altera ad calli genesin conditio est, ut fracturae superficies sese contingant. Si fractura colli femoris intra ligamentum capsulare obtineat, utrumque fragmentum in contactum collocari non posse, vel Chirurgum saltem nulla habere symptomata, quibus de repositione, Naturae magis quam Artis auxilio facta, convictus sit, vix opus est ut moneam. Neque, qui secum cogitaverit, colli femoris extensionem nunquam secundum lineam illi parallelam fieri, atque fragmentum quidem inferius, nunquam autem superius, detrahi posse, hujus rei veritatem in dubium vocabit.

3. Tertia demum conditio, quam ossa ad calli formationem requirunt, situs fragmentorum immobilis est: quem in colli femoris fractura non facile obtineri posse, quisque facile intelligit, quum in hac fractura apparatus continentis usus in auxilium vocari nequeat.

4. Contra colli ossis femoris fracti consolidationem argumentum etiam e periostei in collo femoris defectu (quem probare velint), e synoviae in articulo praesentia, qua quippe callum in primordiis suis dilui et deleri statuunt, et ex similibus conditionibus desumere voluerunt.

5. Ultimo loco Angli ad plura specimina, quibus sententiam suam probent, provocare solent. A tempore nimirum, quo *Johannes* et *Carolus Bellius* sententiam hanc professi sunt, eandem plerique in Anglia Chirurgi amplexi sunt, illamque argumentis ex Anatome pathologica desumtis comprobare studuerunt. Prae reliquis autem, recentiori tempore, in

his operam posuit Vir Cl. *Astley Cooper* (1); qui testatur, se nec antea, nec in praxi sua quadraginta annorum, colli femoris fracti veram unquam vidisse unionem osseam. Secundum ejusdem experientiam autem vel nullus, Naturae auxilio, fragmentorum obtinuit nexus, vel eadem ligamento quodam tam laxe conjuncta fuerunt, ut fragmentum alterum ad alterum moveri semper potuerit. Nec experimenta a *Coopero* in animalibus instituta, nec etiam aliorum observationes, quibus ad comprobandam suam sententiam utitur, hoc loco narrare possumus. Sequentem autem indicem breviorem a Viro Cl. mutuamus, quippe qui in compendio indicet specimina quaedam, in Anglia invenienda, in quibus per ligamentosam substantiam colli femoris fracti consolidatio locum habuit.

In Collectione Nosocomii *St. Thomae* . .	5
——— Collegii Chirurgorum . . .	1
——— Nosocomii *St. Bartholomaei*	6
——— Dublinensi	12
——— Doct. *Langstaffe*	6
——— Cll. *Bell* et *Shaw*	6
——— Doct. *Brooke*	2
——— Doct. *Monro*	2
——— Cl. *Mayo*	1
	41

Inter specimina Doct. *Langstaffe*, ne phaenomenon

(1) A Treatise on Dislocations and on Fractures of the Joints, edit. 3. London 1823. 4to. with Pl. — Observations on Fractures of the Thigh-bone, London 1823. 4to. with Pl.

non hoc memoratu dignissimum silentio praetereamus, exemplum invenitur duplicis in collo femoris fracturae, ob habitum diversum, quem in cadavere referebat, notatu dignioris. Altera nimirum, quae extra ligamentum capsulare locum habuerat, consolidata inveniebatur, dum altera, intra-articularis, minime callo fuerat conjuncta.

Ad haec argumenta quid respondeamus, Lectores forte rogabunt. Quatuor argumenta priora, e Theoria rationali desumta, brevitatis causa mittere possumus, quum illis calli, in interna colli femoris fractura, formandi difficultas magis explicetur, quam revera probetur. Ultimum, quod specimina anatomico-pathologica complectitur, argumentum primo intuitu maximi ponderis esse videtur et revera etiam aliquatenus Anglorum sententiam probat. Ut autem exempla illa ab omni parte probent, quod probandum erit, Chirurgi in Anglia ad sequentes primo respondere debent quaestiones. Quisnam evolutionis gradus in substantia, fractis extremis osseis intermedia, requiritur, ut calli nomine insigniri possit? Nonne nonnulla illorum speciminum ad aegrotos pertinuerunt, qui vel moribundi in Nosocomium suscepti sunt, vel in eo, propter aliam simul praesentem laesionem, mox mortui sunt, in quibus non sufficiens itaque adfuit tempus, quo callus formari et deligationis apparatus necessarius administrari potuerit? Posterior haec quaestio propterea jure facta videtur, quia aegrotorum, si semel sanati atque Nosocomia egressi sunt, ossa difficilius in urbe quadam majori post mortem acquiri et examinari possunt, et quia cadavera contra, in quibus

os-

ossium fracturae per accidens, ut ita dicam, inveniuntur, ad homines plerumque pertinent penitus incognitos, in quibus itaque dubium est, an fracturae praesentis curam antea Chirurgus habuerit. Praeterea, quum hominum, in Cherotropheis morientium, cadavera frequentius secari soleant, fieri potest, quod plura specimina e senibus aut vetulis desumta sint, fracturam, dum senium jam vivebant, expertis: senectutem autem magnum, in fractura colli femoris inprimis, formationis calli impedimentum esse, *Ruyschii* (1) aliorumque experientia docuit. Ad priorem autem quaestionem responsum requiritur, quia sine hoc diu frustra disputare possunt Chirurgi. Si enim illa comparemus, quae, in cadaveribus inventa, ab auctoribus de hoc argumento notata sunt, facile intelligimus, specimina ipsa variam non tantum conditionem exhibuisse, sed etiam auctores ipsos varia usos fuisse loquendi ratione. Plures colli ossis femoris fracturas, in cadavere inventas et in Museo Anatomico, quod Lugduni Batavorum est, descripsit et delineavit Cl. *Eduardus Sandifort* (2), e cujus Viri Cl. descriptione patet, fracturam modo sanatam, modo non sanatam fuisse, in priori autem casu consolidationis rationem variam admodum obtinuisse. Hanc conditionum, quae obtinere possunt, varietatatem docet etiam Doct. *Colles* (3), qui in duo-

(1) Vid. Locus a nobis laudat. pag. 291 Not. 1.

(2) Vid. Museum Anatomicum Academiae Lugduno-Batavae, Vol. I. Amstel. 1793, pag. 205 seq. Vol. II. Tab. LXXVII seqq.

(3) Vid. A. Colles, Fracture of the neck of the femur, illustrated-

duodecim hujus fracturae observationibus, in cadavere factis, sequentia invenit. In duobus casibus nulla consolidatio obtinuerat, dum extrema fracta eburneam duritiem atque glabritiem referebant et ligamentosa quadam ligamenti capsularis continuatione in situ suo retinebantur: in aliis reunionis initium factum erat: in aliis totum femoris collum disparuerat: in aliis demum fibrae ligamentosae e fractis extremis prodierant et nexum partialem effecerant. In omnibus ligamentum capsulare non laceratum, verum crassius et firmius factum, inveniebatur: callum autem osseum nunquam invenit Vir Doctissimus. — In contrariam partem, inprimis contra *Cooperum*, in Anglia disputavit Doct. *Henricus Earle* (1), qui plurium speciminum examine sibi constitisse testatur, quod colli femoris fracturae per callum osseum revera consolidari possint. Observationes, a Viro Doct. ad sententiam suam defendendam allatas, commemorare non possumus, ab eodem autem mutuamus sequentia, in Relatione Itineris Anglici et Batavi, a *Christophoro Henrico Endlens* facti atque descripti, invenienda, patriam nostram spectantia, et ad Hovianum specimen, a *Bonnio* descriptum, verisimiliter pertinentia, verba: « Talem fracturam (in collo ossis « femoris factam) his meis oculis vidi et manibus « palpavi in cadavere faeminae, Nosocomii mulie- « bris Amstelodamensis sociae, in qua, tractu tempo-

ted by dissections; in Dublin hospitals reports and communications, Vol. II. 1818.

(1) Vidd. Practical Observations in Surgery. London 1823. 8vo.

« poris, fractura illa cervicis dextrae per callum
« coaluerit iterum, faemina tamen exinde per om-
« nem aetatem ad mortem usque clauda. Callus
« pollicis latitudine sub ipso capite magno ossis fe-
« moris exstabat, nulla autem in ligamentis ac ten-
« dinibus musculorum laesio vel praeternaturalis
« constitutio erat." — Plerique in Gallia Chirurgi, qui praxeos frequentioris et longioris celebritate inclaruerunt, ut v. c. Viri Clarissimi *Boyer*, *Béclard*, *Cloquet*, *Dupuytren*, *Richerand* etc. colli femoris fracturarum consolidationem osseam strenue defendere solent: dolendum autem est, neminem illorum specimina, quae Parisiis, Argentorati aut in Monte Pessulano inveniuntur, hactenus descripsisse illisque doctrinam, quam profitentur, ad oculum, demonstrasse. Fecit hoc in patria nostra Vir Clarissimus *Gerardus Sandifort*, qui specimina duo, in Museo Anatomico Lugduno-Batavo invenienda, delineavit atque descripsit (1). Specimina haec, quae e Brugmansiana Collectione Museo accesserunt, accuratiori examini submissa, callum osseum, intra ligamentum capsulare fracti, colli femoris extrema conjungentem, absque ullo dubio, demonstrare, totamque de hoc argumento quaestionem penitus dirimere videntur. Quia enim in utroque specimine fracturae, quae locum habuit, manifesta inveniuntur indicia, callus autem, quo fracta conjuncta sunt, om-

(1) Videas haec in Actorum Instituti Belgici Tomo, qui brevi proditurus est, septimo: Verhandelingen der eerste klasse van het Koninklijk-Nederlandsche Instituut van Wetenschappen, Letterkunde en Schoone Kunsten te Amsterdam. VII Deel.

omnes quum referat substantiae verae osseae proprietates, nemo certe, qui ambo haec specimina viderit et cum delineatione atque descriptione Viri Clarissimi comparaverit, hac de re amplius dubitare poterit.

Alia autem quaestio est, num, in colli femoris fractura, utriusque fragmenti ossei consolidatio sine relicta deformitate fieri possit. Fracturam hanc plerumque cum deformitate quadam sanari, omnia fere docent specimina, quae in Museis Anatomicis servantur: ut plurimum enim trochanter propius ad femoris caput accedit, ambo colli fragmenta variis locis, et ad majorem minoremve angulum, saepe junguntur, ita ut pes brevior evadat; vel denique nonnunquam, post validam, per longius tempus factam, extensionem, fragmentum inferius a superiori adeo distrahitur, ut, post nimiam lymphae coagulabilis exsudationem, callus luxurians oriatur. Notum est, Celebrem Galliae Chirurgum, Doct. *Delpech*, jam ante plures annos, aliquot mille florenorum praemium illi proposuisse, a quo femur acciperet, in cujus collo, post fracturam, per callum sanato, nec medice nec mathematice deformitas quaedam demonstrari posset (1). Hoc praemium quamvis a nemine, quod scimus, jam reportatum sit, verisimile tamen est, specimina talia inter ἀδυνατὰ non pertinere. Si enim concedatur, colli femoris fracturas intra-articulares callo osseo revera posse conjungi, facile cogitari potest, deformitatem tantum a casu dependere, atque itaque, etiam-

(1) Traité des maladies réputées Chirurgicales. Tom. I, Paris 1816. 8vo.

etiamsi hoc rarius fiat, fragmenta per accidens etiam tali modo posse conjungi, ut nulla turpitudo remaneat.

Quum de sanationis natura, quam collum femoris admittit, tam diversae fuerint auctorum sententiae, non mirum est, eosdem etiam de optima hujus fracturae sanandae ratione varie opinatos fuisse. Experientia autem docente, colli femoris fracturas rarissime sine pede breviori reddito sanari solere, Chirurgi, omni fere tempore, de femoris extensione permanente cogitarunt, qua quippe, quatenus fieri posset, incommodum illud evitarent. Notum est, *Hippocratem* jam de continua hac extensione, in femoris fracturis instituenda, locutum esse, hanc autem methodum postea iterum neglectam fuisse. In Gallia hanc methodum, post *Guidonem de Cauliaco*, commendavit iterum *Ambrosius Paraeus*, qui claudicationem, colli femoris fracturae pedissequam, e musculorum contractione interpretabatur atque propterea ab extensione optimos usus exspectabat, qua nimirum musculorum actionem, defatigatione tollendam, nullam redderet. Haec autem *Paraei* methodus aeque ac illa, quam postea commendavit *Foubertus* (1), in saepius repetita magis, quam in continua, extensione posita erat: illam autem gravia sibi juncta habere incommoda, vix opus est, ut moneam. Optime itaque de Chirurgia meriti sunt Expertissimi Viri *Vermandois* (2) et *Desaltius*, quippe qui ex-

(1) Sabatier, l. l. 644 seqq.

(2) Vidd. Réflexions sur quelques maladies chirurgicales par Ver-

extensionis permanentis usum in fractura hac commendaverint, et ipsa ad eandem instituendam auxilia invenerint (1). Apparatu hoc, a *Desaltii* tempore, plerique Chirurgi in Gallia usi sunt et nunc etiam uti solent, quamvis ille cum simplicitate sua incommoda quaedam conjungat. Fasciae nempe, quae ad extensionem et contra-extensionem adhibentur, non secundum ossis fracti directionem, sed oblique extrorsum directae, in femoris axin transverse agunt: pedis rotationem non satis impediunt: superiorem et internam femoris atque inferiorem cruris partem nimis comprimunt: denique non satis latae sunt, quo fit, ut facile in semet ipsas volvantur. Utrique priori incommodo medelam afferre conatus Cl. *Boyer*, cujus apparatus tamen nimis compositus est, quam ut e sola descriptione intelligi possit (2). Dixisse autem sufficiat, eundem in Nosocomio Charitatis adhiberi atque Viros Cll. *Boyer* et *Roux*, aegrotorum in eodem curam habentes, optimos, quos machina hac obtinuerint, testari successus. Quum autem fascia coriacea (sous-cuisse), cujus auxilio contra-extensio ab interna et suprema femoris parte debet exire, et reliqua etiam ligamina, quae ad cruris extensionem re-

Vermandois; dans le Journal de Médecine, Vol. LXVI. ann. 1785, pag. 51 seqq.

(1) Apparatum Desaltianum depictum videas apud Richerandum, in Nosograph. et Thérapeut. Chirurg. 5me edit. Tom. II. pag. 136.

(2) Eundem delineari curavit Vir Clar. in Dictionn. des Sciences Médic. Tom. XV. Paris 1816. Pl. I et II ad pag. 21.

requiruntur, laesiones facile producere possint, inprimis si cochlea, qua extensio instituitur, incaute vertatur, in apparatu hoc applicando major etiam, quam in illo *Desaltii*, prudentia requiritur. Machina hac antea etiam uti solebat Cl. *Richerandus*, qui eidem autem nunc praeferre videtur apparatum simpliciorem *Desaltii*, quem saltem in Nosocomio St. Ludovici, cujus Chirurgus primarius est, semper in usum solet vocare (1). — Plerique in Gallia Chirurgi extensionem continuam, in colli femoris fracturis, adhibere, illique vel Desaltiano vel Boyeriano apparatu satisfacere solent: dolendum autem est, eosdem illa, quae, recentiori tempore, plures in Germania Chirurgi Celeberrimi in his praestiterunt, penitus ignorare videri. Brevitatis studium non permittit, ut haec, de Gallia scribentes, indicemus, aut cum utraque methodo, de qua locuti sumus, comparemus. Si quis autem varias,

(1) In Nosographie et Thérapeutique Chirurgicales (Tom. II. 5. édit. pag. 139 seq.) sequentia Virum Cl. scripsisse video: — „C'est „en ces termes, que, dans ma Thèse de réception, soutenue en „1799, j'exagérois les défauts de l'appareil de Desault. Je propo„sois de lui substituer la machine du Professeur Boyer, construite „suivant les mêmes principes, et qui me sembloit exempte de tout „inconvénient. Vingt années de pratique ont apporté de grands chan„gemens dans mes idées. J'ai vu les guérisons les plus exactes et „les plus solides obtenues par l'emploi du bandage de Desault; „je m'en suis moi-même constamment servi avec le plus grand avan„tage. Or, si pour juger de la supériorité d'une méthode, la com„paraison des résultats obtenus peut seule fournir des règles sûres, des „données certaines; si, pour évaluer le degré de préférence qu'elle „mérite, nous devons consulter l'expérience, et ne tenir compte que „des succès, les exemples suivans ont dû puissamment concourir à „rectifier ma maniére de voir sur cet objet." etc.

rias, quae ad extensionem continuam instituendam inserviunt, methodos inter se comparare et dijudicare velit, examini penitiori illas submittat et videat, quatenus sequentibus, quas requiri censemus, conditionibus satisfaciant. 1. Pelvis figatur, ne pedis extensio frustra instituatur. 2. Pes, ne, quam parum fieri possit, brevior evadat, sensim extendatur et in extensione perpetua, non interrupta, versetur. 3. Impediatur pedis versus exteriora inclinatio. 4. Evitetur musculorum fracturae incumbentium compressio, ne eorundem spasmodica inde oriatur contractio, majorem fragmentorum dislocationem factura. 5. Ligamina, quibus extensio et contra-extensio fiunt, superficiem latiorem habeant, ut compressio dolorifica ejusque sequelae evitentur; loci, quibus imponuntur, saepius mutentur. 6. Potentiae, quae ad extensionem continuam adhibentur, quantum fieri potest, secundum directionem, axi colli femoris fracti parallelam, agant. Quibus conditionibus, meo quidem judicio, prae reliquis satisfacit *Hagedornii* (1) apparatus, qualis a *Dzondio* (2) emendatus est. Verum haec per transennam dicta habeantur.

Notum est, multos in Anglia Chirurgos methodum, quam *Pottius* ad quarumvis fracturarum sanationem commendavit, in colli femoris fractura adhibere; plures autem *Bellii* methodum praeferre,

(1) Vid. Abhandl. über den Bruch des Schenkelbeinhalses etc. Leipz. 1808 mit 2 Kpfr.

(2) Vidd. Beyträge zur Vervollkommnung der Heilkunde, I Th. Halle 1816, 8vo, mit Kpfr., pag. 283 seqq.

re, qua fracturae hujus consolidationem obtineant. Utraque methodus illa nititur hypothesi, quod fractura quaecumque apta positione et omnium musculorum relaxatione possit sanari. Hunc in finem apparatu, qui e duplici plano inclinato constabat, sub pedis aegrotantis genu per commissuram sibi juncto, praeter *Bellium*, usi sunt Viri Doctissimi *White*, *James* et *Earle*, quorum agendi rationem, in eadem Theoria fundatam, quamvis modus, quo huic satisfaciunt, differat, hoc loco etiam indicaremus, nisi de Gallia esset dicendum. Inter Parisienses nimirum Chirurgos Bellianam methodum adhibere solet Clarissimus *Dupuytrenus*, dum *Larreyus* contra simplicem aegroti, nulla pedis extensione continua facta, decubitum horizontalem ad fracturae sanationem obtinendam sufficere atque praeferri debere statuit; utriusque autem Viri Clarissimi magna apud exteros fama brevem nos jubet agendi rationis, qua utuntur, indicationem.

Clarissimus *Larreyus*, ut a Viro incipiamus, quem uberrimum experientiae fontem habuisse constat, sequentia fere de collo femoris fracto medendi ratione proposuit (1). Quum amborum fracti colli ossis femoris extremorum dislocatio nunquam fere oriatur, atque haec, si locum habeat, non sine

ne

(1) Vidd. Notice sur la rupture du col du fémur, suivie de quelques Réflexions sur la formation du cal, dans les fractures en général etc.; dans le Journal Complém. du Dict. des Sç. Médic. Cah. 30. Décembr. 1820. Tom. VIII, pag. 97 — 118. — Recueil de Mémoires de Chirurgie, par le Baron D. J. Larrey, Paris 1821, pag. 316 seqq.

ne ligamenti capsularis ruptura fieri possit (quam utramque sententiam pluribus verbis probare conatur Vir Clarissimus), facile intelligitur, femoris extensionem et contra-extensionem nunquam adhiberi debere, quum hae in priori casu non requirantur, atque in posteriori casu, quem major ligamenti capsularis comitatur dilaceratio, praeterea noceant. Clarissimus *Larreyus* propterea vult, ut aegrotus decubitu horizontali fruatur, et ut femur in eadem linea recta cum pelvi versetur, quibus auxiliis utrumque fragmentum proxime ad se invicem accedere, et callum facile, ut plurimum intra octoginta dierum spatium, formari, statuit Vir Nobilissimus. Totus fasciarum apparatus, quo utitur, splenia quaedam crassiora sunt, fomento quodam Camphorato humectata, loco ipsi imponenda, fascia octodecim capitibus instructa, et ferulae quaedam linteo involutae, qui apparatus ante vicesimum diem non debet mutari. Cl. *Larreyus* autem ipse fatetur, pedem semper per duas vel tres lineas Parisienses breviorem reddi, atque hoc tributum Naturae esse ferendum. Verum exempla Parisiis non deficiunt, quae probent, aegrotis, in Nosocomio cohortis praetoriae hoc modo sanatis, pedem per sex fere lineas altero breviorem factum esse.

Dupuytrenus antea, per duodecim vel quindecim annos, in colli femoris fractura extensionem continuam Desaltianam, multiplices modificationes, ab ipso etiam *Dupuytreno*, expertam (1), in Noso-

(1) Vidd. v. c. Rampont; dans le Journal général de Méde-

socomio Hôtel-Dieu adhibere solebat. Incommoda autem, cum hac methodo conjuncta, partium nimirum, in quas potentiae extensionem facturae agunt, continua pressio, inflammatio, desquamatio, suppuratio etc., in primis dolores, qui aegrotis, dum musculi continuo sese contrahere student, conciliantur, fecerunt, ut hanc agendi rationem reliquerit *Dupuytrenus*. Ejusdem autem, qua nunc utitur, agendi ratio sequens est. Dum aegrotus stragulo firmiori, filis interjectis suto, incumbit, vel potius insidet, femur, cujus collum fractum est, pulvino, planum inclinatum formanti, cujus basis genui, apex superiori femoris parti respondet, imponitur, ita ut femur cum axi pelvis angulum obtusum formet et ut crus versus femur inflexum sit. Inferior femoris pars per fasciam latiorem pulvino subjecto alligatur, ita ut levis femoris extensio fiat, dum pelvis quasi a femore pendet. Nonnunquam, si conditiones hoc requirant, pulvinus lateri femoris fracti, ad majorem quietem huic conciliandam, apponitur. — Si aegroti decubitum continuum praeferant, *Dupuytrenus* sequenti modo procedit. Quatuor pulvinis cervicalibus ita positis, ut duplex constituant planum inclinatum, quorum alterum femori, alterum cruri respondet, utriusque basi sub genu invenienda, pes, in

cine. Tom. XXVII, pag. 52 seqq. — Thillaye, Traité des bandages et appareils à l'usage des Chirurgiens des armées. Paris 1809. 8vo. pag. 252 seqq. Inter nostrates Desaltii apparatum simpliciorem et magis commodum fecit Doct. H. J. van Houte: vidd. Aanmerkingen over de breuk van den hals des dyebeens. Amsterdam 1816. 8vo. pag. 90 seqq., Tab. IV. fig. 1.

in quo fractura colli femoris obtinet, iisdem imponitur atque sic in semiflexione retinetur (1). Utriusque hujus agendi rationis consilium est, ut musculi adductores, extremorum dislocationem facientes, relaxentur eoque modo ossis fracti sanatio facilior reddatur, atque quaecumque deformitas, quantum fieri possit, evitetur. Aegroti hac ratione, septuaginta vel octoginta dierum spatio, sanantur, quo tempore elapso standi atque prudenter eundi libertas illis conceditur, dum casus, *Dupuytreno* monente, rarissimi sunt, quod per quatuordecim hebdomades decumbere debuerint. Commoda hujus agendi rationis, cum qua illa, quam Berolini adhibere solebat Cl. *Mursinna*, maxime convenit, sequentia esse videntur: 1. Quamvis pes brevior curam hanc semper insequatur, omnia tamen incommoda, quae e continua extensione saepe oriuntur, ut nimia ligamenti capsularis distractio, articulorum pedis anchyloses etc., eadem in usum vocata, evitari possunt. 2. Haec sanandi ratio aegroto minus molesta est. 3. Methodus haec reliquis omnibus minus pretiosa est et propterea in Nosocomio Hôtel-Dieu aliisque similibus, quae machinis non uti possunt, maxime commendanda est.

In casu sequenti *Dupuytreni* agendi ratio, quam secundo loco indicavimus, in usum vocata est. —

In

(1) Si nimirum et sub femore et sub crure pulvinus ponatur, inter hunc utrumque autem alii duo pulvini sibi imponantur, in quibus poples quiescat, duplex planum inclinatum, quod secundum Dupuytreni mentem requiri diximus, formari potest.

In Nosocomio Hôtel-Dieu virum observare licuit, qui, postquam in dextri lateris trochanterem majorem atque in antibrachium inciderat, partis, qua humerus et cubitus junguntur, contusionem et vulnus externum exhibebat, dum graviorem, per lapsum hunc, femoris os laesionem expertum erat. Genu nimirum in exteriora inclinatum, femur dextrum per pollicem integrum et dimidium brevius factum inveniebantur, dum ipsa standi aut eundi facultas deficiebat: femore in interiora moto, crepitatio marginum fractorum distincta audiebatur: tractione pedis in inferiora instituta, facile hic pristinam longitudinem recuperabat, sed, sibi relictus, mox brevior iterum reddebatur et solitam deformitatem referebat; caput femoris autem in articulo suo inveniebatur et nec in superiora nec in inferiora erat protrusum. Symptomata haec satis docebant, colli femoris fracturam adesse. Num aeger sine deformitate aut imminuta pedis longitudine sanatus sit, quum eundem ad finem usque observare non potuerim, nescio.

Belloq, *Description d'une machine pour les fractures obliques du corps du fémur, et celles de son col; dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie.* Tom. III, Paris 1757, pag. 233 seqq.

Sabatier, *Mémoire sur la fracture du col du fémur; dans les Mémoires citées*, Tom. IV, Paris 1768. pag. 630 seqq.

Bor-

Bordenave, *Dissert. de fractura colli femoris*, Parisiis 1771.

Desault, *Observations* (X) *sur les fractures du col du fémur; dans le Journal de Chirurgie*, Tom. I. pag. 332 — 343.

Richerand, *Dissertation sur les fractures du col du fémur*, Paris ann. VII. (1799).

DE PATELLAE FRACTURIS.

In longitudinalem patellae fracturam, nulla fragmentorum dislocatione stipatam, Chirurgi Parisienses, si de ejusdem praesentia quaestio esse poterat, sequenti ratione inquirere solebant. Ambo aegroti pedes in decubitu horizontali extendebantur, dum truncus contra erigebatur, ita ut pelvis versus femora inclinaret. Musculis hoc modo relaxatis, per tactum patellam explorabant ejusque fragmentum laterale utrumque movere, et crepitatione de fractura certiores fieri conabantur. Nonnullos aegrotos hac ratione examinatos vidi; nunquam autem fractura haec, inter rarissimas referenda, inveniebatur. — Fractura patellae transversa facillime semper dignoscebatur, ita ut, praeter fragmentorum dislocationem, alia symptomata non requirerentur.

Ut de fractura hac patellae transversa Chirurgorum in Gallia cognoscatur doctrina, ad duplicem respondeamus quaestionem. Quomodo nimirum, secundum eorundem sententiam, patellae fractae sanatio locum habere soleat? Quomodo, ut haec quam optime fie-

fieri possit, Naturae succurrere debeant Artis auxilia?

Fracturam transversam exhibentis, patellae integritatem raro vel nunquam callo osseo, verum corpore tantum ligamentoso, fragmentis intermedio, a Natura restitui posse, praeter *Camperum* (1), docuit *Callisenius* (2) his verbis: « Patellam « fractam vero callo reuniri posse, nunquam ipsi « observavimus. Inter centenas patellas fractas, « ad adspectum perfecte sanatas, quas post mor- « tem indagare, vel in variis collectionibus Ana- « tomicis et pathologicis videre, mihi licuit, ne « unicam quidem inveni, quae non, ad longitudi- « nem dissecta, lineam decolorem, haud vere os- « seam, monstrasset et, rite separatis omnibus par- « tibus mollioribus, sub diuturna maceratione vel « coctione in aqua, haud facilem solutionem ad- « misisset. Liceat inde concludere, patellam frac- « tam rarissime, si unquam, uti alia corporis hu- « mani ossa, vero callo concrescere, sed fragmen- « ta solum, mediante substantia firmiori cellulosa, « cartilaginosa, cum ligamento mucoso concurrente, « conglutinari, et firmiore cicatrisatione ligamen- « torum contineri, quod constans experientia in « vi-

(1) Diss. de fractura patellae et olecrani. Hagae Comit. 1789. 4to. cum figur. pag. 34, ubi auctor asserit, „ ferruminationem per cal- „ lum, illaesa omnino functione articuli genu, non omnino esse im- „ possibilem; etiamsi ligamentosa seu tendinea concretio frequentissi- „ ma sit."

(2) Vid. Systema Chirurgiae hodiernae, edit. 4tae. Tom. I. pag. 902. Conff. Acta Regiae Societatis Hafniensis, Vol. I, pag. 307 seqq. Vol. II. pag. 105 seqq.

« vivis et cadaveribus nos edocuit." Si *Dupuytrenum* aliosque forte pauciores excipias, plerique in Gallia Chirurgi doctrinam hanc propositam in universum amplectuntur; i. e. in eo conveniunt, quod patellae fragmenta difficile tam arcte jungantur, ut nullum inde postea in pedis motu obtineat incommodum, quod nexus hic semper fere corpore quodam fibroso, longiori aut breviori, obtineat, denique quod callus osseus rarissine vel nunquam, post transversam patellae fracturam, oriatur. Quod ad causas hujus phaenomeni attinet, alii explicationem a *Callisenio* propositam (1) amplectuntur, alii ad patellae, ossis sesamoïdei structuram et characteres referentis, compagem laxiorem provocant, plerique autem *Richerandi* de his Theoriam profitentur. Praeter musculorum nimirum actionem, qua, fragmento inferiori in loco suo relicto, superius necessario versus superiora duci et ab inferiori removeri debet, membranae etiam, qua externa patellae superficies investitur, ad hanc calli formationis difficultatem intelligendam, necessario rationem habendam esse, Vir Clarissimus censet. Haec enim membrana, quae patellam tegit et supra eandem mobilis est, post fracturam, externa violentia factam, inflammatur et maxime turget atque itaque, si fragmenta ad se invicem adducantur, urgeantur et fasciis circularibus comprimantur, fragmentis osseis interponi et calli genesin turbare debet, dum ipsa in ligamentosam partem conver-

(1) Vid. l. l. pag. 902 seq., §. 1443.

vertitur. — Quemadmodum in Germania *Langenbeckius* (1), patellae fractae consolidationem, sine contextu fibroso, fragmentis interposito, fieri posse, statuit, ita in Gallia *Dupuytrenus* eodem modo, quo alia ossa, patellam primo per callum temporarium (cal provisoire) e cingulo quodam osseo tantum constantem, ac dein per callum perpetuum (cal definitif) conjungi docet, atque hanc doctrinam propterea non parvi faciendam esse monet, ut Naturae, ad hanc sanationem perfectam obtinendam, sufficiens tempus concedi debeat, et ut aegroti per centum et viginti, quadraginta et vel per centum sexaginta, dies decubitum in lecto debeant servare. Specimina tamen, quibus haec *Dupuytreni* sententia confirmari possit, rarissima esse videntur: in Museo Anatomico Parisiensi saltem (Collection de l'Ecole de Médecine) unum tantum specimen tale invenitur, quod eidem *Béclardi* et *Cloqueti* cura accessit (2). Memini autem, me Amstelodami quoque patellam, post fracturam, callo osseo junctam, in Collectione Cl. *Van Maanen* vidisse (3).

De varia methodo, ad patellae fracturam transversalem sanandam proposita, multa dicere possem, quae autem minorem haberent utilitatem, quum fas-

(1) Vid. Neue Bibliothek für Chirurgie und Ophthalmologie. III Bd. 1 St. pag. 49 seqq.

(2) In Collectione Cl. Lallement, Professoris Parisiensis Honorarii, simile etiam specimen inveniri dicitur.

(3) Quibus addas specimen, a Campero Londini observatum atque descriptum: Vid. l. l. pag. 35. Tab. I. fig. 5.

fasciarum et machinarum apparatum, quo Celeberrimi Chirurgi usi sunt aut utuntur, praeter alios indicaverit *Bernsteinius* (1), qui et ipse peculiarem methodum commendavit (2). Sufficiat itaque, *Dupuytreni* et *Richerandi* agendi rationem breviter indicasse, illam cum Cl. *Langenbeckii* methodo, a *Bernsteinio* non memorata, comparasse, et denique apparatum, quo Cl. *Boyerius* utitur, breviter descripsisse. — *Dupuytreni* et *Richerandi* methodus, easdem Parisiis in Nosocomio Dei et Sancti Ludovici observantibus, in plerisque convenire nobis visa est, quare utramque simul indicare liceat. Ut principi, quae ad patellam fractam sanandam requiritur, conditioni satisfiat, musculorum nimirum, superius patellae fragmentum sursum trahentium et ab inferiori removentium, relaxatio obtineat, femur et crus pulvino longiori, aequabili, resistentiam paulo majorem referenti, ita imponuntur, ut supra planum inclinatum, quod a calcaneo ad tuber ossis ischii sese extendit, quiescant (3): quo situ femur cum pelvis axi angulum magis minusve obtusum constituit, et itaque musculi extensores, rectus cruris, vastus externus, internus et cruralis, relaxantur,

(1) Vid. J. G. Bernstein's Lehre des Chirurgischen Verbandes etc. mit Kpfr., Jena 1805. pag. 270 seqq.

(2) Vidd. Zusätze zum Chirurgischen Verbande. Tab. XLVI. fig. 113.

(3) Similem methodum jam commendarunt Johannes Sheldonus (Vid. An essay of the fracture of the patella etc. London 1789. 8vo) atque Petrus Camperus (Vid. l. l. pag. 53 seqq.)

tur, dum fragmentum patellae, cui inseruntur, in locum suum reduci permittunt. Ipsa autem haec, ut facile intelligitur, femoris inclinatio major minorve esse debet, pro majori minorive fragmenti patellae superioris ab inferiori separatione. — Decubitum hunc per sufficiens tempus aegrotis servantibus, plures se, nullo alio auxilio in usum vocato, patellae fracturas optime sanasse, uterque testatur Vir Clarissimus. Si autem, propter majorem fragmentorum dislocationem, aegrotorum quietis impatientiam similesve conditiones, auxilia quaedam minora simul requirantur, his sequenti parum diversa ratione satisfacere solent Viri Clarissimi. — *Dupuytrenus* in tali casu, antequam pedem aegrotantem plano illi inclinato imponeret, ad utrumque patellae fragmentum quam arctissime sibi admovendum, dolabra descendente femur et adscendente crus, ad patellae fragmenta usque, circumdabat: quibus factis, femur ligamine latiori, cujus extrema sub lecto conjungebantur, pulvino sibi supposito apprimebatur. — *Richerandus*, dolabra adscendente et descendente pro parte applicatis, patellae fragmenta ad se invicem reducturus, curabat, ut cutis, illa tegens, tenderetur, ne haec forte, transverse plicata, inter fragmenta sese immitteret: tunc autem compressa longiora supra et infra patellam ita ponebantur, ut, a quovis latere, ad posteriorem genu partem sese decussarent, inter se autem spatium ellipticum transversale relinquerent.

Dum *Dupuytrenus* et *Richerandus* pedem, cujus patella fracta est, reliquo corpori accommodant,

dant, *Langenbeckius* (ut Gottingensis Professoris methodum cum illa Parisiensium comparemus) eandem, quam hi Viri Clarissimi, de conditionibus, quae ad patellam fractam sanandam requiruntur, sententiam secutus, contrariam prorsus sequitur agendi rationem, id est, fragmento patellae superiori ad inferius apta fasciarum involutione adducto, aegroto positionem sedentem, femori autem et cruri situm horizontalem conciliat, dum praeterea, ad quamcumque flexionem impediendam, popliti, ab utroque latere, ferulam ligneam tenuiorem apponit. *Langenbeckii* methodus, cum qua illa Doct. *Alcock* convenire videtur (1), ad eundem, ad quem praecedens, scopum ducit, dum idem prorsus per utramque obtinetur effectus. Altera methodus alteri tantum praeferri meretur, si aegrotus hanc illamve positionem praeferat: forte etiam, si aegroti impatientia, Gangraena a decubitu aliaeve conditiones hoc requirerent, altera methodus alteram per tempus quoddam excipere posset.

Cl. *Boyerius*, venerandus in Arte veteranus, qui in machinis Chirurgicis inveniendis aut emendandis summas collocavit ingenii vires atque industriam, sequentem apparatum, ad patellae fracturas sanandas, in Nosocomio Charitatis, adhibere solet. Canali ligneo (la gouttière), ad superiorem partem latiori, ad inferiorem angustiori, illa longitudine instructo, ut se a medio femore ad suram usque extendat, pedem aegrotantem ita imponit Vir Cl., ut

(1) Vidd. Transactions of the associeted Apothecaries and Surgeon-Apothecaries of England and Wales, London 1823. Vol. I.

ut genu in media fere canalis parte inveniatur. Canalis hic ab interiori parte pelle ovina sternitur: in utroque exteriori ejusdem margine, ad aequalem distantiam, quinque aut sex foramina oblonga inveniuntur, per quae linteamina, duorum pollicum latitudine instructa, transmitti possunt, quibus femur et crus supra canalem hunc, quem ubivis explent, immobilem situm acquirant. Ad mediam canalis partem, in exteriori utroque latere, plures clavi, capitibus rotundatis instructi, ad quinque aut sex linearum distantiam a se invicem, inveniuntur, ut per hos fasciae coriaceae figi possint, quae ad reposita patellae fragmenta in situ retinenda inserviunt. Duo nimirum lora (courroies), unius pollicis latitutide, et sex aut septem pollicum longitudine instructa, in media interna parte pelle ovina tecta, in extremis autem foraminibus pluribus, secundum longitudinem dispositis, perforata, eodem modo supra et infra patellam ponuntur, quo *Richerandum* compressa longiora disponere diximus. Eorundem extrema, quae a quovis latere sese decussant, per clavos, qui in media exteriori canalis lignei parte inveniuntur, ita figuntur, ut patellae fragmenta firmissime retineant. Ne autem partes recedere possint aut inaequali ratione premantur, cava, quae ad poplitem aliasve regiones, inter pedem et canalem ligneum, pelle ovina jam tectum, relinquuntur, linteo carpto replentur. — Commoda hujus machinae in eo posita sunt, quod ejus actio ab aegroto satis facile perferri et ad Chirurgi voluntatem augeri aut imminui possit, quod fracturae re-

regionem nudam relinquat, et quod per se minus facile relaxetur.

Allouch, *Dissert. de fractura transversa patellae*, Parisiis 1775.
Deidier, *Dissert. de patellae transversa fractura*, Parisiis 1775.
Sabatier; *dans les Mémoires de l'Acad. des Sçiences, pour l'ann.* 1783.
Richerand, *Mémoire sur les fractures de la rotule; dans les Mém. de la Société Médic. d'émulation*, Paris ann. VII, pag. 42 seqq.
Cousté, *Dissert. sur les fractures de la rotule*, Paris 1803, 4to.
Bourquin, *Mémoire sur deux bandages, l'un propre à la fracture de la rotule etc.* Paris 8vo.

DE CRURIS ET PEDIS EXTREMI FRACTURIS.

Inter fracturas, de quibus hactenus diximus, illam Claviculae frequentissimam esse monuimus, dum simul causas nonnullas indicavimus, quibus haec adeo frequens ossis illius fractura tribuenda videatur. Clavicula autem frequentius ossa cruris, quae omne corporis pondus ferunt et potentias nocentes difficile evitare possunt, fracturam experiuntur, de qua autem fractura vix diceremus, nisi in eadem sananda peculiares quaedam Chirurgis in Gallia essent agendi rationes. — Tibia et fibula simul per

potentiae cujusdam majoris efficaciam fractis, fasciatio, quam, ad reposita ossa cruris retinenda, Galli instituunt, in universum cum illa nostratium convenit, id est, idem apparatus, qui in femoris fracturis, adhibetur, eo tantum discrimine, ut inter utrumque os duo splenia longiora (longuettes) ad dislocationem, si fieri possit, evitandam, ponantur. Galli praeterea pedem extremum cum ferulis, ab utraque parte ultra plantam pedis prominentibus, sequenti modo conjungunt. Fascia, cujus circuitus a planta pedis incipit, in ejusdem dorso ad formam crucis ponitur, et a quovis latere cum ferula conjungitur; quam encheiresin in aegrotis, quietem non amantibus, quales Galli esse solent, saepius requiri vidimus. Quod autem ad situm attinet, in quo, tibia et fibula fractis, pes collocatur, facile intelligitur, plerosque praeferre decubitum horizontalem. *Dupuytrenus* autem in hac etiam fractura positionem semiflexam praefert: ad quam obtinendam genu pulvinis quibusdam imponitur, dum duo mantilia, quorum alterum supra, alterum infra genu collocatur, cum lectuli lateribus conjunguntur atque sic superiorem cruris, magis minusve versus femur inflexi, partem firmiter retinent. — Non autem de tibiae et fibulae fracturis discedere possumus, nisi aliquam fracturarum, quibus affici possint, complicatarum et comminutarum mentionem fecerimus. Notum est, antiquiori tempore, harum fracturarum sanationem difficillimam et vel rarissimam fuisse. Si nimirum fractura complicata fasciis et ferulis solito modo retinebatur, suppuratio oriebatur profusa, qua partes molliores sen-

sensim delebantur et omnis sanatio frustra exspectabatur. Si nulla instituebatur deligatio, fracta nonnunquam quidem integritatem recuperabant, sed magna relinquebatur deformitas et pes, brevior factus, usui suo non inservire poterat. Huic incommodo tollendo in Germania inserviunt machinae pensiles (Schweben), quas *Braunius* (1), *Faustius* (2), *Sauterus* (3), et *Graefius* (4) invenerunt, quaeque non minus ad aegrotum ex uno loco in alium deferendum, quam ad eundem faciliori modo sanandum, a Chirurgis adhibentur. Has autem machinas, quae aegroto maxime placent, Chirurgo facillimam deligationem permittunt, cujusque usu sanatio et citius et melius fieri solet, Chirurgi in Gallia partim non cognoscunt, partim etiam spernunt, putantes, se fasciatione saepius renovata, quae certe non nisi difficillime in duplici fractura comminuta fieri potest, vulneris partium molliorum dilatatione, injectionibus demum adstringentibus, nimiam suppurationem compescere posse. Quam parum haec auxilia in graviori tali casu plerumque ju-

(1) Vid. Metzler, Beschreibung der Braunschen Maschine zur zweckmässigsten Lage einfacher und complicirter Beinbrüche. Ulm 1800. 4to mit Kpfr.

(2) B. C. Faust und P. Hunold, über den Nutzen des Oels und der Wärme etc. nebst 3 Abhandlungen. — Beschreibung einer Beinbruchmaschine etc., Leipzig 1806. 8vo mit Kpfr.

(3) Vid. J. N. Sauter, Anweisung, Beinbrüche der Gliedmassen etc. nach einer neuen, leichten, einfachen und wohlfeilen Methode, ohne Schienen sicher und bequem zu heilen, Constanz 1812. 8vo. mit Kpfr.

(4) Quum Graefii et Waltheri Diarium non ad manus sit, locum, quo Vir Cl. machinam suam descripsit, indicare non possum.

juvent, Chirurgi per experientiam sciunt, et ipse in Nosocomiis Parisiensibus nonnunquam observavi. Non mirum propterea Chirurgos in Gallia cruris, comminutam, vel cum magna partium molliorum laesione complicatam, fracturam experti, amputationem instituere debere, quae, melioribus auxiliis in usum vocatis, verisimiliter evitari potuisset.

De simplici tibiae solius fractura nihil dicendum habeo. Eo magis autem mentionem meretur malleoli fractura, quippe quae Chirurgis nostris magnam difficultatem ciere soleat, quum totus pes extremus plerumque in latus aegrotum ducatur. *Dupuytreni*, ut hoc incommodum removeatur, agendi ratio cum simplicitate, tum usu probato, sese commendat. Ferula lignea longior, trium fere pollicum latitudine instructa, stragulo, e pilis equinis facto, inferiori parte excepta, tegitur, et ita adhibetur, ut pars ferulae nuda inferiori tibiae parti, id est malleolo, respondeat, pars autem tecta vel involuta cruri apponatur. Ferulae hujus applicandae ratio sequens est. Non aegrotanti, sed sano cruris lateri, ferula illa apponitur et fasciis firmatur: pes extremus nunc per ligamina latiora ad ferulam, quam ibi nudam esse diximus, ducitur, atque sic, quo minus in latus, in quo malleolus fractus est, inclinare possit, impeditur penitus.

Quemadmodum pleraeque fibulae fracturae facillime sanantur, quum, tibia integra sustentatae, rarissime fragmentorum dislocationem possint offerre, ita maximam sanationis difficultatem plerumque habent, in inferiori fibulae parte factae, fracturae, si has pedis luxatio insequatur. Haec complicatio,

in

in cujus diagnosi multa antea requirebantur, egregie a *Dupuytreno* illustrata est, cujus Viri Cl. methodica de hoc argumento Commentatio (1), cum monitis, quae de dignoscendo et curando hoc morbo continet, tum observationibus, quibus omnia explicantur, auctore suo dignissima est, atque sine dubio meretur, quae a quovis Chirurgo legatur et relegatur. Mentionem autem facere liceat praecepti, a Viro Cl. dati, quod in eo consistit, ut fracta fibula, etiamsi illam inflammatio, tumor et ecchymosis comitentur, mox, si fieri possit, reponatur, atque ut reposita, ad symptomatum imminutionem, non emollientibus et calidis tegatur, verum fomentationibus frigidis, aqua v. c., Saccharo Saturni mixta (2). Apto deligationis et ferularum usu, qui, propter pedis ad interiora inclinationem, requiritur, se e ducentis et septem aegrotis ducentos et duos sine deformitate sanasse, quinque tantum per morbi quandam complicationem mortuis, Vir Clarissimus testatus est.

Inter pedis extremi fracturas, illa colli calcanei, quamvis rarissima sit et diagnosin facillimam habeat, brevem mentionem meretur. Quum enim, musculorum suralium actione, diffracta calcanei tuberositas sursum trahatur, confici sponte potest, quas-

(1) Vid. G. Dupuytren, Mémoire sur les fractures de l'extrémité inferieure du péroné, les luxations et les accidens, qui en sont la suite; dans l'Annuaire des hôpitaux et hospices civils de Paris etc. I vol. Paris 1819. 4to.

(2) Contra praeceptum hoc non raro a Chirurgis in Gallia peccari, antea diximus.

quasnam difficultates ejusdem, in situm naturalem repositae, retentio habeat. Quum omnia, quae a *Paraeo* in hunc usque diem, pro disrupto tendine Achillis, proposita sunt auxilia, mutatis mutandis, in fractura hac adhiberi possint, Chirurgi Parisienses vel *Petiti* aut *Ravatoni* calceo (quibus illum Cl. *Graefii*, Professoris Berolinensis, praeferrem) utuntur, vel firma deligatione (1), quae, si extensio pedis et situs genu inflexus serventur, sufficere videtur, ossis integritatem restituere conantur.

Sequentes observationes Capiti huic finem imponant. Seni septuaginta trium annorum, templum relinquenti, post plagam ab equo calcitrante acceptam, in terram prolapso, tibia et fibula, currus pondere, franguntur, partes molliores ambientes contunduntur et vulnus anteriori atque posteriori cruris parti infligitur. Fractura haec complicata in quovis aegroto gravis et periculosa foret, maximum autem periculum in sene habet, septuagesimum quartum aetatis annum vivente. Amputatio verisimiliter mortem conciliaret aegroto et propterea, hacce facienda, senis vitam breviorem reddere nolebat *Dupuytrenus*. Curavit autem, ut in simplicissimo apparatu contentivo, sine ferulis applicato, tibia et fibula, pulvinis a latere positis, sustentatae quiescerent. Parva Venae Sectio facta est, potus antispasmodici in usum vocati sunt, dum ad vesperam Syrupus diacodii aegroto exhibebatur.

(1) Hanc non indicavi, quia cum vulgari convenit. Splenii nimium crassioris, transversim supra partem fractam positi, extrema in dorso pedis decussatim ponuntur, ad plantam pedis ducuntur etc.

tur. Tertio post illatam fracturam die, per breve tempus, aliquod morbi levamen expertus, mortuus est senex, per ultimum diem delirio vehementi decumbens. — A sene ad juvenem, a mortuo ad sanatum veniamus. Juvenis igitur quindecim annorum aetatis, quem eodem fere tempore observavimus, febre biliosa gravissima decumbens, per lapsum ex alto factum, quem ipse in delirio fecerat, fracturam complicatam cruris sinistri expertus erat. Repositione facta, Venae Sectione instituta et remediis antispasmodicis propinatis, satis bene sese habere videbatur aegrotus. Deligationis autem apparatu renovando, fragmenta dislocata inveniebantur, dum tibiae et fibulae fractura, accuratius examinata, obliqua esse videbatur. Extremis fractis in situm naturalem repositis, ad novam dislocationem impediendam, praeter ferulas majores, plures minores et compressa graduata in auxilium vocavit *Dupuytrenus*. Deligatione hac aequabili, et ab omni quasi parte dislocationem impediente, in usum vocata, et remediis internis, quae febris biliosa requirere videbatur, per tempus sufficiens ab aegroto sumtis, eundem, duorum mensium tempore, a cruris fractura obliqua et complicata, quam febris biliosa praegressa erat et comitabatur, sine deformitate sanatum, videre licuit. — Propter causam, qua obtinuit, memorabilis est sequens fibulae fractura. Juvenis, ebrietate vacillans, amoris testimonia puellae facturus, in genua incidit, atque superiorem fibulae dextrae partem, una cum malleolo interno, diffregit. Duplex haec fractura fieri certe non potuisset, nisi pedem

 dex-

dextrum, tempore, quo in genua incidit, in exteriora maxime flexum habuisset aegrotus. Hanc enim conditionem, ut duplex illa fractura simul obtineat, requiri, plures aegroti, quos postea observavi et interrogavi, me docuerunt. Repositio, si brevi post fracturam illatam instituebatur, in plerisque satis facilis erat. Genu nimirum fulcro cuidam, supra quod quiescere posset, imposito atque crure ad femur inflexo, ut musculorum laxatio fieret, levis pedis extremi extensio et ad interiora inclinatio ad repositionem faciendam plerumque satisfaciebat. — Ligamentorum distensionem, quae fracturas has comitari easque gravissimas reddere solet, multo minus metuendam esse, quam illam, quae sine fractura obtinet, experientia se didicisse, saepius narrabat *Dupuytrenus*.

La Faye, *Description d'une machine propre à faciliter le transport de ceux, qui ont la jambe, ou la cuisse fracturée, et très utile pour leur pansement; dans les Mém. de l'Acad. Royale de Chir.*, Tom. II. p. 403 seqq. Pl. XXI. fig. 1.

Coutavos, *Observation sur la guérison d'une fracture de la jambe, avec déperdition considérable du tibia; dans les Mémoires citées*, Tom. II. pag. 415 seqq. Pl. XXI. fig. 2 et 3.

A. E. Vergé, *Sur les fractures obliques du tibia dans son tiers superieur*, Strasbourg 1804. 4to.

Pa-

Patissier; *dans le Dictionnaire des Sç. Médic. in v.* fractures du peroné, Tom. XL, Paris 1819, pag. 333 — 334.

DE EXTREMITATUM SUPERIORUM FRACTURIS.

Inter has fracturas illa colli ossis humeri primo loco mentionem meretur. Quum autem collum humeri, quale ab Anatomicis definitur, rarissime frangatur, de hoc nil dicendum est: de colli humeri autem, quale Chirurgico sensu sumi solet, id est illius partis, quae inter caput humeri et musculi pectoralis insertionem interest, fractura, quum hujus diagnosis non tantum, sed cura etiam, ab illa humeri, in media parte fracti, diversa sit, pauca quaedam dicere liceat. Quum nimirum, fractura colli humeri locum habente, fragmentum inferius per musculum pectoralem, teretem majorem et latissimum dorsi, qui in superiori ejusdem extremo inseruntur, per bicipitem, coraco-brachialem et tricipitem longum, in superiora et interiora ad axillae cavum trahi debeat, fragmentum autem superius per supra-spinatum, infra-spinatum et teretem minorem versus exteriora trahatur, facile intelligitur, dislocationem magnam adesse debere et talia auxilia ad sanationem requiri, qualia utrumque fragmentum repositum in contactu tenere possint.

Hunc in finem a Chirurgis Parisiensibus adhiberi solet deligatio a *Desaltio* commendata, quae, ad

ad methodum *Le Dranii* et *Davidis* proxime accedens, utriusque hujus Viri Doctissimi apparatum in eo superat, quod ossis fragmenta melius contineat, facile applicari possit, neque aegroto magnos dolores faciat. Simpliciorem, et quae tamen satisfacere videbatur, methodum, in Nosocomio St. Ludovici, a *Richerando* in usum vocatam vidi. Humerus nimirum, cujus collum fractum erat, Thoraci, eodem modo, quo hoc *Le Dranius* facere solebat, firmiter apprimebatur, ita ut fragmenta hac, ferulae adinstar, sustentarentur: simplex mantile duplicatum vel triplicatum humerum, antibrachium et scapulam simul includebat, atque partes has firmiter ad truncum premebat. — Si majus cum humeri fractura vulnus erat conjunctum, ferulae breviores octo in usum vocari solebant, quatuor infra et quatuor supra locum fractum ac vulneratum, humero impositae et dolabra adscendente firmatae: his ferulis brevioribus et tenuioribus quatuor imponebantur longiores, priores octo tegentes et fascia iterum fulcitae. Hac ratione quaecumque quidem pressio loci vulnerati impediebatur, sed apparatus etiam maxime compositus, et nimium in sui applicationem tempus requirere, videbatur. — Sequens aegroti, humeri fracturam exhibentis, historia notatu digna videtur. Quadraginta fere annorum aetatis virum, post lapsum, infortunio quodam factum, imprudens auriga curru transierat, atque sic viro illi conciliaverat ossis humeri fracturam, sine musculorum ambientium vulnere, forte per ipsum jam lapsum, factam, atque manus contusionem graviorem, partium ejusdem molliorum vulneri junctam.

Ap-

Apparatus, ad humeri fracturam, post factam repositionem, retinendam necessarius, vulneris et contusionis, manum deturpantium, sanationem impedivit, dum per compressionem ulcus majus factum est, colorem violaceum accepit et omnia dein Gangraenae (secundum *Dupuytrenum* Nosocomialis dicendae) signa exhibuit. Post quintum mensem fractura humeri nondum consolidata erat, post hoc autem tempus, callus solidior fieri coepit, parva humeri in exteriora flexura superstite.

In fracturis, quae in antibrachio locum habent, eadem Chirurgorum in Gallia, quam apud nos, medendi ratio est (1). Vulnere autem cum fractura simul praesente, antibrachium, aegroto decubitum servante, pulvino imponebatur et *Sculteti* fascia involvi solebat. — Solius radii vel ulnae fractura praesente, nisi haec nimis versus inferiora locum habuerit, dislocatio, justa deligatione instituta et ferularum usu non neglecto, facilius impeditur, ita ut aegrotos tales, plerumque sine aliqua deformitate, sanatos viderim. In Nosocomiis Parisiensibus etiam observavi, radii fracturas illis ulnae multo frequentiores esse. In radii autem fracturis, in medio osse factis, fragmentum inferius, musculi quadrati et musculorum pronatorum actione, ad ulnam semper trahebatur, qua dislocatione praesente, splenia longiora aut lintea compressa, graduata, ab

(1) Meliorem, quam quo antea uti solebant, ad antibrachii fracturas sanandas, apparatum commendavit et descripsit Cl. Dupuytrenus in Révue médicale Française et étrangère, Tom. XI, Paris 1823, pag. 76 seqq.

ab utroque latere in interstitio osseo, inter ulnam et radium, posita, raro ad omnem deformitatem evitandam sufficiebant.

Olecrani fracturam nunquam Parisiis observavi.

M o s c a t i, *Mémoire sur la fracture du col de l'humerus; dans les Mém. de l'Acad. R. de Chirurgie*, Tom. IV, pag. 614 seqq.

Précis d'Observations sur la fracture du col de l'humerus; ibidem pag. 622 seqq.

G. C a p i o m o n t, *Essai de Chirurgie pratique sur la fracture de l'olécrâne*, Paris 1803. 4to.

DE LUXATIONIBUS.

Mirabitur forte quis, quod gravissimam de ossium luxatione doctrinam unius Capitis limitibus circumscribamus: miraretur autem magis, si de quibusvis singulis luxationibus data opera diceremus, quum de nullo certe Chirurgiae Capite variarum regionum Chirurgi magis conveniant, quam de illo, quod luxationum theoriam et praxin complectitur. Quum praeterea consilium nostrum eo absolvatur, ut Chirurgis in Gallia peculiares, ad doctrinam de ossibus luxatis pertinentes, sententias, aut varias, quae eorundem praxin spectant, agendi rationes, describamus atque cum illis aliorum breviter compare-

remus, huic consilio certe verba pauciora sufficere poterunt.

Ut ossa luxata reponantur, aegroti ad hanc operationem praeparatio saepe requiritur, si nimirum inflammatio gravior aliaque id generis repositionis obstacula adsint, atque, ante horum introitum, repositio non institui potuerit. Ubivis fere terrarum magnum Chirurgi in hunc finem auxiliorum habent apparatum, quibus, pro varia conditione praesente, utantur, Fomentationes, Cataplasmata, Unguenta, Olea etc. In Gallia praeparatio haec triplici praecipue remedio absolvitur, aqua frigida, Venae Sectione, Hirudinum usu. Hirudines potissimum, cum inflammationis et tumoris minuendi scopo, larga manu adhibentur, earumque usus, recentiori tempore, magis etiam invaluit.

Chirurgo, ossis luxati repositionem facturo, tanta nonnunquam sese offert musculorum contractio, ut, etiamsi auxilia illa, quae antea diximus, in usum vocata sint, atque maxima extensio et contra-extensio instituantur, nihilominus tamen luxatum os reponi nequeat. In tali casu varia auxilia proposita sunt, quorum praecipua indicare liceat. *Gesscherus* noster, incommodum hoc saepius etiam expertus, parvas Tartari Emetici doses, quibus non vomitum, sed nauseam continuam cieret, dare solebat, cujus remedii usu musculi omnes relaxabantur, fatigationem summam experiebatur aegrotus et in leipothymiam non raro cadebat, qua praesente luxatum os reponebatur. Quale auxilium, ab *Astl. Coopero* etiam in usum vocari solitum, quamvis improbandum propter digestionis atque aliarum func-

functionum incommoda, quae ejus usum insequi debent, praeferri tamen meretur audaci Itali Chirurgi *Flajanii* remedio, quod in eo consistit, ut, per plures dies, luxato ossi interdiu fomentationes, et nocte Cataplasmata, imponantur, atque ut tunc Venae Sectio ad animi deliquium usque instituatur, quo obtinente, os luxatum in locum suum reducatur (1): quo consilio si in tali casu semper uti vellemus, non raro post tam largam Venae Sectionem moribundus humi prosterneretur aegrotus. Ad syncopen autem, citius et tutiori ratione, aegroto conciliandam, non ineptum nobis videbatur consilium, quod Parisiis a Cl. *Marjolino* audivimus, aegrotum nimirum, post largam Venae Sectionem institutam, in balneum calidius immittendi, quippe quo, debilitante illa causa praegressa, facillime in animi deliquium incidat. — Chirurgus in Gallia quondam Celeberrimus *Le Cat* sequenti observatione ad peculiare auxilium commendandum ducebatur. In aegroto luxatam maxillam inferiorem repositurus, tantam experiebatur reponendi difficultatem, ut per plures horas cum frusto ligni firmioris, dentibus interposito et vectis adinstar agente, consilium suum assequi studeret: tandem musculis temporali et massetere, per continuam extensionem, paralyticis factis, maxillae condylus reponebatur. Idem propterea auxilium in aliorum ossium lu-

(1) Vidd. Practische Beobachtungen über die Ablösung der Gliedmassen etc., Nürnberg 1799. 8vo. Medizinisch-Chirurgische Beobachtungen; aus dem Italien. von Kühn. Nürnberg 1799. I Bd. pag. 24 seq.

luxatione, ad musculorum paralysin obtinendam, commendavit, atque hoc ejusdem consilium plures in Gallia Chirurgi postea secuti sunt. Si nullum aliud auxilium supersit, usum haec immitior agendi ratio possit habere, modo cum prudentia, quae requiritur, instituatur.

Inter nunc viventes in Gallia Chirurgos, duplici maxime diverso auxilio utuntur Viri Clarissimi *Boyerius* et *Dupuytrenus*, quorum agendi ratio meretur, quam breviter indicemus. — *Boyerius* aegroti ebrietatem hunc in finem commendat, quippe qua praesente repositio fieri possit. Quod consilium quamvis primo intuitu paradoxum esse videatur, nonnunquam tamen cum optimo effectu in usum vocatum est. Ebrietas autem sufficiens hunc in finem requiritur, atque illo demum tempore ossis luxati repositio instituenda est, quo irritationis stadium praeteriit, illud vero lassitudinis, fatigationis et debilitatis intravit. Nonnunquam autem, quando musculorum contractio, repositionem impediens, in summis aegroti doloribus causam suam agnoscere videtur, Opii internum usum aegrotis suis praescribebat *Boyerius*. — Cl. *Dupuytrenus*, ad musculos articulum circumdantes relaxandos, terrore utitur, quo animi pathemate aegroti certe multo magis, quam ullo alio psychico, vel physico etiam, remedio, musculorum relaxationem experiuntur. Aegroto nimirum sedente, et fasciis ad extensionem et contra-extensionem faciendam applicatis, *Dupuytrenus* eundem jubet, ut morbi sui historiam narret: dum in hac narratione occupatus est, Amanuenses, praeceptoris nutu admoniti, extensionem

 sen-

sensim instituere incipiunt: in aegrotum, queribundum in narratione sua pergentem, tanquam mendacii, sceleris cujusdam, aut morum turpium et corruptorum reum, ex improviso et uno impetu, durissimis verbis invehitur, atque illi, maxime hinc exterrito, luxationem, quam expertus erat, brevissimo nunc tempore reponit. — Tandem, ut comparatio quaedam institui possit, consilii mentionem faciamus, quod a Cl. *Graefio*, Professore Berolinensi Celeberrimo, datum est atque in usum vocari solet. Aegrotum nimirum, in quo ossis luxati reponendi difficultatem, propter causam antea traditam, expertus est Vir Clarissimus, in balneum immittit calidum, quod illum caloris gradum habet, quo ab aegroto perferri potest. In hoc per horam dimidiam vel integram relinquitur, dum continuo major aquae calidae quantitas affunditur: aegrotus nunc in balneo ipso parvam Tartari Emetici dosin sumit, quae autem minima esse debet, quum aegrotus facillime vomitum experiretur. Nausea orta et per utrumque remedium summa locum habente lassitudine et musculorum relaxatione, os luxatum in locum, e quo excidit, reponitur.

De ossium luxatorum repositione, qualis haec a variis auctoribus commendatur, plura dicere possemus, si comparationem inter agendi rationem, a Chirurgis in Gallia institui solitam, et illam, quam iidem in aliis regionibus adhibere solent, instituere vellemus. Quum autem haec in longius nos ducerent, tribus verbis princeps, quod observavimus, discrimen indicare sufficiat. In Gallia nimirum, luxationum repositionem explicaturi, ad ma-

num

nuum usum, omnibus reliquis auxiliis longe praeferendum, provocare solent Viri Clarissimi et non nisi hunc etiam adhibent, si in Nosocomiis suis aegrotorum ossa luxata reponere debeant. In Germania autem et plerisque aliis regionibus, uti antea, nunc etiam machinae saepius adhibentur, atque vel novae nonnunquam proponi et commendari solent. Ne quis autem Germanos, ob machinarum in luxationibus usum, nimia reprehensione dignos existimet, quum etiam ab his plures egregiae, recentiori tempore, propositae sint ad ossium repositionem encheireses.

Quid autem de singulorum ossium luxatione dicemus? De utraque, quae praecipua videtur, pauca monere sufficiat, de illa humeri nimirum et femoris.

Quotuplici loco humeri luxatio locum habere possit, de eo nunc satis consentiunt Chirurgi, experientia edocti, in tres potissimum locos caput excidere posse, deorsum nimirum, atque haec luxatio primaria semper videtur; antrorsum, quae frequentissima est (1), quamque vel uno mense ter observavit *Petitus* (2); atque demum retrorsum, quae rarior est, cujusque observatae inter Gallos *La Motte* (3), inter nostrates *Titsinghius* et *Bonnius* meminerunt. Praeter triplicem hanc luxationem, quarum utraque posterior secundaria semper est, du-

(1) Vid. Mothe, Mélanges de Chirurgie et de Médecine, Paris 1812. 8vo. Observat. II. IV. VIII.

(2) Vid. Traité des maladies des Os, Paris 1723. 12mo. Tom. I. pag. 180.

(3) Vid. Traité compl. de Chirurgie, Tom. II, Obs. 397, pag. 615.

duplex locum habere potest species intermedia, ad alam nimirum et ad jugulum. Prior species frequentia sua extra omnem dubitationis aleam posita est; posteriorem, quae inter claviculam et processum coracoïdeum tumore se prodit, observarunt *Purmannus* (1), *Bromfieldius* (2) aliique.

Dum, ut de methodis, ad humerum luxatum reponendum adhiberi solitis, pauca dicamus, antiquiorum Galliae Chirurgorum de hoc argumento merita brevitatis causa mittimus, tres, quas Parisiis in usum vocari vidimus, methodos indicare liceat. — Prima est Mothiana, quae sequenti modo perficitur (3). Mantile arctissime complicatum super aegroti, in sella sedentis, axillam infirmam ita injicitur, ut non nisi summum humerum comprehendat: ejusdem auxilio humerus ab Amanuensibus aliquot, humi ante et pone aegrotum sedentibus, firmatur et versus inferiora premitur, sive, aliis verbis, contra-extensio instituitur: mantile aliud, quod latius est, pectus aegri circumdans et prius sub angulo recto decussans, a latere sano per alium Amanuensem retinetur, ne, si extensio fit, aegrotus cedere possit. Chirurgus, in sella stabili vel mensa, ad aegroti latus, luxationem expertum, positus, utraque manu brachium amplectitur idemque leviter trahit et ad caput aegroti attollit: si humerus in directione perpendiculari in altum erectus sit, validissimam Chirur-

(1) Vid. Lorbeerkranz der Wundarzney. III Th. Kap. 24, pag. 196.

(2) Vidd. Chirurgical Observations and Cases. Vol. I, pag. 288.

(3) Conf. Mothe, l. l. pag. 208 seqq.

rurgus extensionem instituit et ossis caput sua sponte fere reponitur. Si Chirurgus solus ad humerum superiora versus tollendum non sufficit, plures ministri, in scamnis positi, idem peragere possunt. Hanc methodum, quae cum Hippocratica agendi ratione manifestam convenientiam habet, in Germania etiam plures cum usu experti sunt Chirurgi (1), atque inter hos eandem quodammodo mutavit *Rustius* (2), Professor Berolinensis Celeberrimus. In Gallia methodum hanc cum optimo plerumque effectu institutam vidi, quamvis tamen, aeque minus ac reliquae methodi, non in quovis casu Chirurgorum votis responderit. Quod incommodum ab eo forte repetendum est, quod, secundum Mothianam methodum, luxationis praesentis speciei nulla ratio habeatur, sed in quovis casu eadem extensio instituatur. — In nullo certe Nosocomio Europaeo plures quotannis humeri luxati reponuntur, quam in Nosocomio Parisiensi a Deo nomen habente, in quo per quinque, quos adfui, menses duodecim certe humeros luxatos repositos vidi. *Dupuytreni* itaque agendi rationem altero loco indicare liceat. Aegrotus sedili imponitur, quod parum prominenti parietis angulo, quorum duo requiruntur, ut pro duplici aegroti latere inservire possint, ita apponitur, ut scapula infra uncum circularem firmissimum ad parietem quiescat: habena nunc

(1) Vid. Bernstein, Ueber Verrenkungen und Beinbrüche, 2 Ausg. Leipz. 1819. pag. 133. Conf. Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde. I Bd. pag. 73.

(2) Vid. l. l. X Bd. pag. 184.

nunc vel mantile, infra brachii aegrotantis axillam et supra lateris oppositi humerum, pectori circumjecta per uncum circularem ducitur, ejusque extrema Amanuensibus a latere positis traduntur: inferiori antibrachii parti Emplastra, ex Althaea vel alio Unguento parata, atque his iterum plures fasciae circulares imponuntur, ne laqueus, qui extensioni inservire debet, partes nimis premere possit: eodem nunc tempore extensionem et contra-extensionem plures adjutores instituunt, dum *Dupuytrenus* lateri aegrotanti adstat et caput ossis dirigit. Extensio ita peragebatur, ut humerus angulum acutum cum trunco constitueret: quae directio num optime musculorum relaxationi vel aequabili actioni respondeat, dubitandum videtur. Quidquid autem sit, repositio citissime plerumque instituebatur, neque ullum aegrotum, sine reposito humero suo luxato, abire iterum vidimus. — *Dupuytreni* methodum ab illa Doct. *Mothe* in eo differre vidimus, quod in hac extensio in ipso osse humeri, e sede sua elapsi, quod sursum ducitur, instituatur, contra-extensio autem in summo humero, qui versus inferiora premitur, obtineat, dum, secundum *Dupuytreni* agendi rationem, extensio in antibrachio, contra-extensio autem in scapula, quae loco suo retinetur, instituitur. Eandem, quam *Dupuytrenus*, de reponendi ratione sententiam amplectuntur etiam Viri Cll. *Boyerius* et *Richerandus*, quamvis, quod ad modum attinet, quo eidem satisfaciunt, ab eo differant. Quum autem utriusque Viri Clarissimi agendi ratio non prorsus eadem sit, sed parvum discrimen admittat, Lectores rogare liceat,

ceat, ut utriusque hujus Viri Cl. scripta, e quibus clarius haec intelligi poterunt, adire velint.

Femoris luxationem, inter rariores pertinentem, Parisiis nunquam observare licuit: breviter tamen eandem reponendi ratio, in Gallia usitata, indicari meretur. — Inter reliquas, ut notum est, species frequentissima est luxatio in posteriora et superiora, qua caput ossis femoris in dorso ossis ilei collocatur: altera species versus posteriora et inferiora in incisuram ischiadicam fit, atque priori, frequentiae ratione, opposita est, quum rarissima sit et vel a *Johanne Ludovico Petito* aliisque auctoribus prorsus negetur (1): tertia species dicitur, quae versus anteriora et inferiora in foramen ovale obtinet: quarta demum, qua caput femoris in anteriora et superiora pellitur, atque ejus collum ramo pubis horizontali imponitur. In singulis his luxationibus eadem in Nosocomiis Parisiensibus adhibentur auxilia, extensionis tantum directione et reposione, a Chirurgo instituenda, pro varia specie, parum diversa. Mantile nempe saepius duplicatum superiori femoris sani parti, ad regionem inguinalem, pulvino molli intermedio, imponitur ejusque extrema a pluribus Amanuensibus retinentur; simile mantile latius pelvim circumdat et etiam a latere sano ratinetur, ne in latus aegrotum pelvis

(1) Revera tamen hanc speciem locum habere posse, inter recentiores auctores probarunt, Celeberrimus Academiae Monte-Pessulanae Professor, Delpech (Vid. Traité des maladies etc. Tom. III.) atque Doctissimus Ollivier, Andegaviensis (Vid. l. ad calcem Capitis laudand.)

vis inclinatio fieri possit; mantile tertium vel laqueus inferiori tibiae parti, supra malleolos, imponitur et, bombyce vel aliis mollioribus partibus intermediis, firmatur. Dum extensio et contra-extensio ab aequali fere Amanuensium numero instituitur, Chirurgus, qui lateri adstat, caput femoris dirigit et in acetabulum, e quo elapsum est, repellit. Annales et Diaria Gallica plura luxationum, tali modo repositarum, exempla continent: prae reliquis ex his notari meretur aegroti historia, qui, die vicesimo octavo mensis Decembris anni 1818, femoris luxationem expertus, die decimo sexto Martii anni 1819 demum in Nosocomio Hôtel-Dieu auxilium quaerebat, cuique femur luxatum, sex Amanuensibus extensionem et totidem contra-extensionem instituentibus, a *Dupuytreno* reponebatur.

L. Verduc, *Manière de guérir les fractures et les luxations par le moyen des bandages*, Paris 1685. 12mo.

J. B. Bottentuit, *Diss. sur une machine pour réduire les luxations*, Paris 1724. 12mo.

Lepy, *Dissert. An luxationes auxiliis non pluribus, quam laqueis et manu, reponendae?* Paris. 1752.

T. Bordenave, *Diss. de luxationibus*, Parisiis 1764. 4to.

A. Portal, *Dissertatio, generales luxationum comprehendens notiones, sed praecipue novae ma-*

ma-

machinae descriptionem tradens; Monspel. 1764. 4to.

P. J. Desault, *Quelques observations sur la luxation de l'humérus; dans le Journal de Chirurgie*, Tom. II. pag. 154 — 170.

A. Richerand, *Note sur les luxations de l'humérus; dans les Mém. de la Sociét. Médic. d'émulation.* Tom. V, Paris ann. XI, pag. 457 seqq.

J. d'Amblard, *Histoire d'une luxation de la tête du fémur sur la branche ascendante, de l'ischion, vers son union avec la portion descendante du pubis, et description d'une méthode nouvelle pour procéder à la réduction de ce genre de déplacement etc.*, Paris 1821. 8vo. avec 1 Pl.

Ollivier, *Nouvelles espèces de luxation du fémur; luxation du fémur* en arrière et en bas, *et luxation du fémur* directement en bas *etc.; dans les Archives générales de Médecine, pour Juin 1824.*

DE ANEURYSMATE.

Morbos, e causa mechanica ortum suum habentes, explicaturus, dubitavi primo, num de aneurysmate quoque hoc loco dicere deberem, memor peculiaris illius corporis dispositionis, e qua aneurysmata potissimum originem suam repetunt. Quamvis autem concedam, peculiarem diathesin, quae, si plura aneurysmata in eodem homine adsint, vel

post unius sanationem oriantur, difficile certe negari poterit, et vivendi praeterea rationem, quam certe non mechanice sed dynamice in systema arteriosum agere censendum est, conditiones esse praecipuas, e quibus aneurysmata originem suam habeant, certum tamen est, causas has pro remotis habendas esse, proximam vero semper in arteriae tunicarum dilatatione et dilaceratione ponendam esse, atque hoc sensu aneurysma quodcumque mechanico modo formari.

Notum est, aneurysmata, potissimum externa, in Italia et Anglia frequentissima esse, in illa quidem ob majorem, ut videtur, aëris temperaturam, in hac vero propter immodicam vivendi rationem, ejusdem incolis, dum epulis aromaticis lautioribus utuntur, semper sitientibus, neque siti suae aqua pura satisfacientibus. Non mirum propterea est, si Itali atque Angli plurima semper in aneurysmatum doctrina praestiterint. Inter illos in primis innotuerunt *Assalini*, *Palletta*, *Flajani*, *Vacca* — *Berlinghieri* et, quem primo loco nominare debuissem, *Antonius Scarpa*; inter hos optime de hoc arteriarum morbo meriti sunt *Hunterus*, *Monrous*, *Hodgsonus* et alii. Si comparationem inter Galliam et Germaniam instituamus, aneurysma in illa iterum multo frequentius esse, quam in hac, manifesto constare, atque hoc etiam cum e climate, tum ex vivendi ratione, intelligi posse, videtur. Nihilominus tamen, quemadmodum Gallia gloriari potest Viris Doctissimis *Sabatier*, *Pelletan*, *Deschamps*, *Corvisart* et *Laennec*, Germania etiam Viros habuit, optime de aneurysmatum doc-

tri-

trina meritos, *Teichmeyerum*, *Platnerum*, *Schmuckerum*, *Richterum*, *Spangenbergium*, *Kreyssigium* et alios. — Inter illa autem, quae Lutetiae Parisiorum in primis laudanda sunt, pertinet hoc, ut in Scholis akiurgicis discipuli quamcumque arteriae ligaturam, aptissimo modo et quocumqne fere loco perficiendam, doceantur; sic v. c. Cl. *Lisfranc* in lectionibus suis, generalioribus praeceptis praemissis et variis incisionum speciebus explicatis atque a quovis discipulo institutis, statim ab hujus operationis explicatione incipit, dum in viginti, et quod excurrit, locis principum arteriarum denudationem et ligaturam monstrat, dum ipsi discipuli bis easdem repetere debent.

Quum de aneurysmatis origine non omnes in Gallia Chirurgi consentiant, indicandae, Parisiis usitatae, huic morbo medendi rationi, pauca, quae Theoriam spectant, praemittenda videntur.

De aneurysmate vero, quod in omnium arteriae tunicarum dilatatione consistit, quum secundum sententiam, quam professi sunt Illustr. *Scarpa* atque *Hodgsonus*, vix aneurysmatis nomen mereatur, nihil dicendum est: verum de utraque potius aneurysmatis specie agendum videtur, in qua una vel altera arteriarum tunica dilacerata vel destructa censetur.

Postquam nimirum Illustrissimus *Scarpa*, qui illa, quae *Sennertus* (1), *Fabricius Hildanus*

(1) Vid. Operum Omnium Tom. III. Libr. V. Part. I. Cap. 43. Lugduni 1650, pag. 308: „Atque ita proxima caussa Aneurysmatis „est arteriae tunicae internae apertio, exterioris vero dilatatio."

nus (1) et *Diemerbroeckius* (2) minus distincte docuerant, secutus videtur, aneurysmata, circumscripta potissimum seu consecutiva (aneurysmes faux consécutifs), ex internae ac fibrosae arteriarum tunicae ruptura vel destructione et e cellulosae tunicae dilatatione explicari debere, pluribus argumentis ingeniosis probare conatus erat (3), alii sententiam hanc rejecerunt, alii eandem brachiis et ulnis amplexi sunt, illamque speciem aneurysmatis mixti externi nomine, secundum *Monroum*, indicarunt. Hanc aneurysmatis speciem frequentissimam esse, plerorumque in Gallia Chirurgorum sententia esse videtur.

Sententiae *Hunteri* (4), in aneurysmate mixto extimam nonnunquam arteriae tunicam disruptam, interiores vero dilatatas esse, statuentis, favere videntur Viri Clarissimi *Dubois*, *Dupuytren* aliique forte Galliae Chirurgi. Viri autem illi Clarissimi sententiam hanc jam ante viginti annos amplexi sunt, speciminis, conformationem illam exhibentis, sectionem facientes. Si nimirum orificium, quo sac-

(1) Vid. Operum Omnium Centur. III. Observ. 44, Francof. 1682.

(2) Vid. Ysbrandi de Diemerbroeck Operum Omnium Cap. I, Traject. ad Rhenum 1685.

(3) Vidd. A. Scarpa, Ueber die Pulsadergeschwülste; aus dem italien. übersetzt, mit Anmerkungen und Zusätzen von C. F. Harles, Zürich 1808. Abhandlung über die Unterbindung der bedeutenden Schlagadern der Gliedmaszen, mit einem Anhange zu dem Werke über die Schlagadergeschwulst, von A. Scarpa, aus dem italien. von F. Parrot. Berlin 1821, pag. 77 seqq.

(4) Vidd. Medical Observations and Inquiries, Vol. I. pag. 338 seqq.

saccus aneurysmaticus cum arteria communicat, glaberrimam superficiem referat, confici posse credunt, integram tunicam arteriae internam per tunicae fibrosae rupturam egressam esse, atque, tunica cellulosa ab exteriori tectam, aneurysma circumscriptum (aneurysma mixtum internum) constituere. Cl. *Laennec*, quamvis in aneurysmatibus, minimum ambitum referentibus, hoc fieri posse non neget, in illa tamen versatur sententia, quod aneurysmata in universum e rupta tunica arteriae interna atque fibrosa, et dilatata tunica ejusdem cellulosa originem habeant. Argumenta, quae Vir Clarissimus in sententiae suae defensionem attulit (1), cum illis, quae a Celeberrimo *Scarpa* aliisque allata sunt, maxime conveniunt et sententiam hanc certe maxime probabilem reddunt. Neque tamen dicerem, aneurysma nunquam ab interna fibrosa arteriarum tunica formari posse, quum argumentum, quod a fragili harum tunicarum structura desumitur, propterea parum mihi probare videatur, quod tunicae hae, si emollitionem aliamve conditionem morbosam expertae sint (atque, mutatam arteriarum structuram organicam adesse, ipse fatetur Celeb. *Scarpa* (2)), elasticitatem suam perdere, atque hinc in omni suo ambitu dilatari forte possint: hanc sententiam saltem observationibus con-

(1) Vid. De l'auscultation médiate, ou Traité du diagnostic des maladies des poumons et du coeur, Paris 1822. Vol. II. pag. 404 seqq.

(2) Vid. Ueber die Pulsadergeschwülste etc. Cap. V. §. 18. pag. 55, §. 20. pag. 59 seqq.

confirmari testatur *Hodgsonius* (1). Praeterea in arcu Aortae, quod ipse etiam testatur Celeb. *Scarpa*, praesertim si homines aetate provectiores sint, tota nonnunquam arteria, sine aliqua tunicarum internarum degeneratione aut dilaceratione, ita dilatata est, ut duplum ambitum referat (2), indicio, has etiam tunicas expansionem morbosam admittere posse.

Si aneurysmati medendi rationem, quae in Gallia adhibetur, cum illa aliarum regionum comparemus, maximum discrimen primo loco in eo positum esse censemus, quod Galli, praeter Venae Sectiones et aquam frigidam, aneurysmati externo impositam (3), post cujus usum ejusdem sanationem observarunt Viri Clarissimi *Sabatierius*, *Pelletanius* et *Larreyus*, non alia, quibus morbum hunc sanare conentur, adhibere soleant remedia interna aut externa. In Germania vero et patria nostra hanc saltem viam primum ingredi solent Chirurgi, ut, methodo hac non sufficiente, ad cruentam demum operationem refugiant. Quid parvae Venae Sectiones, quid refrigerantia, quid sanguinis circuitum retardantia, qualis Digitalis purpurea, quid adstringentia, interne sumta et cum aptis remediis conjuncta, aneurysmati ipsi impositis, praestiterint non-

(1) Vid. Von den Krankheiten der Arterien und Venen; aus dem englisch. übersetzt von T. A. Koberwein, Hannover 1807. Part. II, Sect. I. pag. 99 et 107. Conf. C. F. Harles ad *Scarpam* l. l. pag. 336 seqq.

(2) Vid. Meckel's pathol. Anatomie, II Bd. I Th. pag. 241.

(3) Conf. H. Radeloose, Diss. sur l'emploi des refrigerans dans les aneurysmes externes, Paris 1810.

nonnunquam, Chirurgis in Hollandia et Germania satis notum est. Haec remedia, si non sanationem, morbi saltem progressum retardare ejusque in corpore multiplicationem (ut verbo utar) impedire posse videntur.

Quam in Gallia commendarunt *Ambrosius Paraeus*, *Bourdelotus*, *Petitus* aliique, arteriae aneurysmaticae comprimendae methodus Parisiis frequentius adhiberi solet, quam in Germania, ubi propter gravissima incommoda, quae compressionis sufficientis applicationem plerumque insequuntur, penitus neglecta videtur. Neque tamen dubium est, quin methodus haec, si debita ratione institui possit, sanationem nonnunquam attulerit. Brevitatis studium non permittit, ut fasciarum et machinarum apparatum, quibus *Garengeotus*, *Foubertus*, *Arnaudius*, *Perretus*, *Sabatierius* aliique usi sunt, vel Parisienses Chirurgi nunc etiam quandoque utuntur, indicemus. Dixisse sufficiat, *Dupuytrenum* propriae inventionis compressorium, hunc in finem, adhibere, atque *Verdierium* apparatum, bracherii adinstar conformatum, proposuisse eodemque cum felici eventu usum esse (1). In aneurysmate externo minori, quod vix originem habuit, methodus haec certe utilitatem suam potest habere: num autem in aneurysmate varicoso, sive per anastomosin facto, prodesse possit, in dubium vocare licet.

Quod

(1) Vid. P. L. Verdier, Mémoire sur un appareil compressif de l'artère iliaque externe dans les cas d'aneurysme; dans les Mémoires de Médecine et de Chirurgie militaire, Vol. XIV, pag. 147. Commentatio seorsim etiam prodiit, Parisiis 1823.

Quod autem ad cruentam operationem attinet, duplex in primis aneurysmati externo per ligaturam medendi methodus est, quarum altera, jam antiquiori tempore in usum vocata et ab *Aëtio*, *Paulo Aegineta*, *Guidone Cauliaco* atque *Ambrosio Paraeo* descripta, in eo consistit, ut arteria supra et infra saccum aneurysmaticum ligetur, atque ut hic aperiatur et sanguinis coagulo liberetur, vel penitus etiam resecetur; altera autem, quae ab *Huntero* denominari solet, in arteria supra aneurysmaticum locum liganda consistit. Priorem methodum, si hunc illumve fautorem excipias (1), Chirurgi in Gallia reliquerunt et posteriorem tantum instituere consueverunt. Hunteriana, quae dicitur, methodus, in Gallia ab *Anelio* (2) anno 1710, et *Desaltio* anno 1785 (idem annus est, quo *Hunterus*, in aneurysmate arteriae popliteae, arteriae femoralis ligandae methodum suam indicavit) jam instituta est, atque haec etiam methodus est, quae nunc in Gallia semper in usum vocatur. De modo autem, quo eandem instituant, non singuli consentiunt Chirurgi, quum peculiarem nonnunquam sequantur agendi rationem. — Quod ad acus

(1) Doct. nimirum Maunoir, Venetus, cujus scripta ad hujus Capitis calcem laudabimus, in ea versatus sententia, quod quaecunque arteria ligata sese retrahere conetur, quod propterea ligatura, arteriae injecta, ejusdem tunicarum rupturam efficere debeat, atque hinc itaque explicandae sint haemorrhagiae, post aneurysmatis operationem, secundariae, consilium dedit, ut arteria supra et infra aneurysma ligetur atque dein inter utramque ligaturam dissecetur.

(2) Vid. Suite de la nouvelle méthode de guérir la fistule lacrymale, Turin 1714, pag. 257.

acus attinet (1), quibus filum arteriae ligandae subjiciendum est; antiquiores pleraeque, ut *Garengeoti*, *Ravatoni*, *Goulardi*, *Petiti*, *Desaltii*, vix in usum vocari solent, dum plerique Chirurgi illa (serre-noeud), qua Celeberrimus *Deschamps* (2) usus est, praeferre solent. Nonnunquam acus, quam Cl. *Dupuytrenus* ante aliquod tempus invenit, egregie convenit, quum, propter structuram suam firmiorem et conformationem peculiarem, in partibus, quae musculos crassiores offerunt, aut in quibus arteria ossi incumbit, nec lumini nec Chirurgi digitis aditum praecludat. — Quod ad filorum, quibus utuntur, materiam et formam attinet, magna varietas observari potest. A materia, sive haec linea, sive lanea, sive erioxylina, sive serica sit, nihil fere pendere, omnia enim haec fila eandem exserere agendi rationem, experimentis se didicisse, dicere solebat, Anatomicorum quondam decus, *Beclardus*, qui praeterea monebat, ab eorundem amplitudine et teneritudine, ab eorum latiori vel rotundiori forma, non diversos sed eosdem fere obtineri effectus. *Beclardi* autem socer, Cl. *Dubois* cum eo consilio fasciolas latiores praefert, ut hisce arteriam magis comprimat, quam liget, et ut igitur sanguinis circuitum non uno impetu supprimat, sed sensim minorem reddat.

Vin-

(1) Vid. A. Boyer, Mémoire sur la meilleure forme des aiguilles propres à la réunion des plaies et à la ligature des vaisseaux etc.; dans les Mém. de la Société Médic. d'émulation, Paris ann. VIII, pag. 79 seqq.

(2) Sur la ligature des principales artères blessées, etc.

Vinculo tali latiori arteriae circumjecto, post aliquot dies ejusdem obliterationem jam obtinere, asserit Cl. *Dubois*, vinculum autem, si hanc nondum factam inveniat, per aliquot praeterea dies relinquit. Quae agendi ratio proxime certe accedit ad methodum, quam proposuit Illustr. *Scarpa*, de qua pauca etiam dicenda erunt.

A *Scarpa* commendata agendi ratio, quae in eo consistit, ut tubulus parvus, ex linteo, in cylindri formam convoluto, factus, arteriae ligandae, cujus diametrum refert, imponatur et ut tunc ligatura arteriam simul et tubulum illum comprehendat, eo nimirum scopo, ut arteriae parietes sibi tantum apprimantur atque concrescant, in Gallia quoque nonnullos invenit fautores, qui iisdem fere argumentis, quibus *Scarpa* agendi suae rationis commoda probare conatus est, sententiam suam defendunt. Dum hanc methodum sequebantur, ultimis annis, arteriae brachialis et femoralis ligaturam decies et sexies se instituisse, neque unquam se haemorrhagias consecutivas inde vidisse, testantur Viri Cll. *Boyer* et *Roux*, qui inter principes methodi hujus asseclas censentur. Quem ultimo loco nominavimus, Vir Cl., mense Februario praecedentis anni (1825) ad finem vergente, in duobus aegrotis arteriae cruralis ligaturam, in Charitatis Nosocomio, methodo hac usus, perfecit. In altero aegroto propter aneurysma arteriae popliteae, in altero propter ejusdem arteriae vulnus, arteria cruralis ligari debebat. In utroque aegroto, secundum methodum a *Scarpa* commendatam, arteriae ligatura facta est, quam, per duas saltem prio-

priores hebdomades, nulla haemorrhagia insecuta est. — Quemadmodum methodum hanc, in primis ligaturis latioribus factam, maxime improbarunt plures in Anglia Chirurgi, *Jonesius*, *Cooperus*, *Hodgsonus* et alii, arteriae imperfectam concretionem, inflammationem, ulcerationem et alia incommoda inde metuentes, ita eandem etiam impugnare solet Cl. *Dupuytrenus*, qui nullum se ab illa usum vidisse testatur. — Alii demum in Gallia Chirurgi, qui tamen pauciores sunt, ipsius *Hunteri* aliorumque in Anglia Chirurgorum methodum secuti, pluribus ligaturis arteriam aneurysmaticam circumdant, ut, altera immature delapsa, vel haemorrhagia ilico orta, per alteram (ligature d'attente) arteria mox iterum constringi possit. — De eo tandem Chirurgi in Gallia disputant, num vulnus ad arteriam denudandam factum, per primam, an vero per secundam intentionem, debeat sanari. Posteriorem plerique praeferre videntur, quum prior rarissime fieri soleat, atque Cl. *Roux*, magnus prioris fautor, ipse fateatur, reunionis immediatae verba non strictiori sensu esse sumenda.

Sequentes morborum historiae notatu dignae videntur. — Cl. *Roux* aneurysmatis in arteria crurali operationem, secundum *Hunterianam* methodum, instituebat: die tricesimo tertio ligatura solvebatur et expellebatur: post aliquod tempus catarrhus et tussis gravior aegroto, domum reverso, molesti erant; vulnus jam sanatum solvebatur, et tam vehemens oriebatur haemorrhagia, ut aegrotus mortuus certe fuisset, nisi uxor ejus compressionem femoris omni, qua poterat, vi, usque ad Chirurgi in auxilium vo-

cati adventum, instituisset. — In Nosocomio Hôtel-Dieu aegrotum vidimus, in quo de aneurysmate praesente aut absente judicium non adeo facile ferri posse videbatur. Vir nimirum, magnam corporis referens longitudinem, cum teneritate conjunctam, e malis Venereis, quae expertus erat, eorumque perversa sanatione forte explicanda, ante duos menses, in tabulae angulum incurrendo, in femoris dextri parte media atque interna contusionem expertus erat. Laesionem factam vivi dolores insequebantur, qui autem mox remittebant. Tumore in laesa parte orto, Medicus Venae Sectionem, hirudines et emollientia externa praescripsit. Tumor non disparuit, sed modo imminuebatur, modo augebatur: post Cataplasmatum emollientium usum, fluctuatio, sine ictibus digitum ferientibus, sentiebatur. Integumenta nunc cultro discinduntur, atque, puris loco, magna sanguinis quantitas effluit. Partium dissectarum labiis per emplastra sibi junctis, aegrotus in Nosomium defertur. Tumor non talis habebatur, qualis foret, si vasis majoris, i. e. arteriae cruralis, aneurysma obtineret: videbantur autem vasa minora laesionem experta et, morbi initio, thrombo occlusa fuisse, dein autem, corporis motu aut aliis causis, sanguinem illum majori quantitate praebuisse. Per duos dies, per quos aeger in Nosocomio fuerat, ne gutta sanguinis quidem evacuata erat, quamvis exploratio instituta esset. Dein autem, nova haemorrhagia orta, per decem vel duodecim dies arteriae compressio instituta est. Sanitas aegroti in pejus vergere coepit, abdomine intumescente et totius cutis colore maxime flavescente. Suppuratio ma-

maxima accessit et aeger mortuus est. In cadaveris sectione arteria cruralis integra inveniebatur, patuit autem, circumflexam laesam fuisse atque sanguinem praebuisse. — Aegrotus inferioris brachii partis laesione, quae vitri frusto locum habuerat, cutis, musculorum et arteriae sectionem expertus erat. Partes ambientes hinc sanguine repletae inveniebantur et aneurysmatis spurii secundarii symptomata oriebantur. Magna sanguinis arteriosi quantitas e vulnere prosiliebat et statim, arteriae compressione relaxata, cum novo impetu, prodibat. Accuratiori examine facto, arteria cubitalis laesa inveniebatur ejusque aneurysma adesse videbatur. Ligatura arteriae, supra et infra locum vulneratum, injecta est, sed fieri non potuit absque eo, ut nervus cubitalis simul ligaretur. Fila propterea modice tantum attrahebantur. Duplex haemorrhagia, altera levior, altera gravior, post ligaturam obtinuit. Ut ultimae mederetur, torculari arteriae compressionem facere, et linteum carptum, Colophonii pulvere conspersum, partibus vulneratis immittere debuit *Dupuytrenus*. Per sex dies hac arteriae compressione instituta, unius diei tempore, partes vicinae Gangraenam contraxerunt, quapropter nova vulneris dilatatio fieri et pus evacuari debuit. Suppuratio atque Gangraena per aliquot adhuc dies in antibrachio cutis et telae cellulosae destructionem fecerunt, absque eo tamen, ut nova haemorrhagia orta sit. Ad Gangraenam sanandam aptis remediis in usum vocatis, post quatuor hebdomadum tempus, Nosocomium aeger sanatus reliquit. — In aneurysmate Aortae, quod trium florenorum magni-

nitudinem referebat, cujusque pulsatione, manifesta et satis forti, costae pro parte jam destructae videbantur, Acetitis plumbi usum internum praescribebat *Dupuytrenus*.

F. Thierry, *Diss. An tutior faciliorque vulgari detur aneurysmatis Chirurgica curatio?* Paris. 1750; in *Halleri Disput. Chirurg.* Tom. V, pag. 211 seqq.

Foubert, *Mémoire sur différentes espèces d'aneurysme faux; dans les Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurgie*, Tom. II. pag. 535 seqq.

R. Caillot, *Essai sur l'aneurysme*, Paris ann. VII (1799).

Deguise, *Dissertation sur l'aneurysme etc.*, Paris 1804.

Maunoir, *Quels sont les avantages et les inconveniens des diverses méthodes de traiter l'aneurysme?* Vid. *Recueil periodique etc.*, Tom. VII, pag. 241 seqq.

——— *Mémoires physiologiques et pratiques sur l'aneurysme et la ligature des artères.*, Genève 1802.

——— *Dissertation sur la section de l'artère entre deux ligatures dans l'opération de l'aneurysme*, Paris 1805. 4to.

Deschamps, *Rapport sur le Mémoire de* Maunoir, *quels sont les avantages etc.;* Vid. *Recueil periodique etc.*, l. l.

Dupuy, *Diss. sur les traitemens de l'aneurysme*, Paris 1806.

DE HERNIIS.

In nulla forte doctrina, sive artem sive scientiam spectes, magis, recentiori aevo, Chirurgiae cancelli promoti sunt, quam in gravissima illa, quae in explicandis versatur herniarum diagnosi et medicatione. Notum est, quam egregie de hoc Capite meruerint, in patria nostra Clarissimi Viri *Bonnius*, *Camperus* et *Sandifortius*, ne de Expertissimis inter nostrates Chirurgis dicamus, qui ad gravissimas de herniis, in patria propositas, quaestiones responsa dederunt (1); in Germania *Richterus*, *Hesselbachius*, *Langenbeckius*, *Seilerus*, *Sömmeringius* et alii; in Gallia *Garengeotus*, *Marjolinus*, *Dupuytrenus*, *Cloquetus*, *Breschetus* etc.; in Anglia Viri Celeberrimi *Pott*, *Bell*, *Astley Cooper* et *Lawrence*; in Italia demum, praeter *Gimbernatum* aliosque, qui principem in Arte locum tuetur, Illustrissimus *Scarpa*.

Dum in ultimo hoc Capite Gallorum de herniarum doctrina merita illustrare eaque, pro exiguo virium juvenilium modulo, ponderare conabor, a nullo certe argumento aptius incipere possum, quam a frequentiae herniarum computatione. In universum sequens, si earundem frequentiam spectes, inter Galliam aliasque regiones locum habere dicitur

(1) Praeter Commentationes, in aliarum Societatum Actis Literariis inveniendas, pertinent huc Verhandelingen bekroond met den prijs van het Legaat van den Heere J. Monnikhoff, Amsterdam 1797 — 1810 VI Deelen in 8vo.

tur ratio. Secundum calculum a *Chaussierio* factum, in tricesima hominum parte herniae inveniuntur. Neque tamen hae in singulis regionibus aeque frequentes sunt. Si plurium Chirurgorum computationi fides habenda sit, in Italia et Hispania decima quinta incolarum pars, in Gallia et Anglia (1) vicesima, in Europa septentrionali tricesima hominum pars hernias experitur. Quamvis non negemus, relaxationem partium, quae climatis calidioris diuturnum usum insequitur, multum ad hernias disponere, calculus ille tamen, quatenus ad Italiam et Hispaniam pertinet, nimis magnus esse videtur. Quod autem ad Galliam attinet, calculum hunc satis verum esse crederem. Cl. *Julius Cloquetus* saltem in octo millibus cadaveribus, quae dissecuit, quadringentas quinquaginta septem hernias invenit. Frequentiam vero, qua herniae et variae earundem species obtinent, accuratiori ratione docere poterunt Diaria, quae in Nosocomiis majoribus servari solent. Quum autem ipse nullos, si viderim, numeros, aegrotorum, propter hernias in Nososomiis quotannis susceptorum, frequentiam indicantes, notaverim, e propria, quod doleo, penu computationem hanc, quatenus Galliam spectat, instituere nequeo et propterea sequens, quod e *Casperi* egregio Libro (2) pro parte mutuatus sum, Schema ap-

(1) In Britannia, secundum calculum, quem auctor Calendarii, *Charity Almanac for* 1825, pag. 52, summis curis ductum esse dicit, inter Viros octavus quisque hernia laborat, dum in quibusdam Britanniae regionibus quintus quisque herniosus est.

(2) Characteristik der franz. Medicin etc., Leipz. 1822, pag. 594.

appono, quod aliorum Chirurgorum observationibus illustrare conabor.

anno 1774, in Nosoc. Salpetrière	Faeminae aderant 7027	herniis decumbebant 220	Numerus herniarum ad aegrot. praesentium numerum $3\frac{0}{0}$
in Nosoc. Bicêtre	Viri aderant 3890	„ „ 212	„ „ $7\frac{0}{0}$
in Nosocomiis Parisinis	Pueri aderant 1037	„ „ 21	„ „ $2\frac{0}{0}$

Bracheria, anno 1816, Lutetiae Parisiorum distribuebantur 1558	Viris 1279 Faeminis 279	Ratio herniarum in Viris ad illas Faeminarum $= 4\frac{1}{2} : 1.$
Inter 457 hernias, a Cl. Cloqueto in caveribus inventas atque dissectas	in Viris 307 „ Faeminis 150 inveniebantur	Ratio herniarum in Viris ad illas Faeminarum $= 2 : 1.$
Bracheria, anno 1814, Londini distributa sunt 7599:	Viris 6458 Faeminis 1141	Ratio herniarum Virorum ad illas Faeminarum $= 5\frac{1}{2} : 1.$

Inter hernias autem, ad quarum retentionem requirebantur, erant	in Viris 6458	in Faeminis 1141
herniae inguin. sinistrae	1469 id est $1 : 4\frac{5}{10}$	14 id est $1 : 81\frac{5}{10}$
„ „ „ „ dextrae	2567 „ $1 : 2\frac{5}{10}$	20 „ $1 : 57$
herniae femor. sinistrae	38 „ $1 : 170$	246 „ $1 : 5$
„ „ „ „ dextrae	47 „ $1 : 137\frac{4}{10}$	264 „ $1 : 4\frac{3}{10}$
herniae inguin. duplic.	2182 „ $1 : 3$	10 „ $1 : 114\frac{1}{10}$
„ „ femor. „ „	36 „ $1 : 179\frac{4}{10}$	139 „ $1 : 8\frac{2}{10}$
herniae umbilicales	92 „ $1 : 70\frac{2}{10}$	387 „ $1 : 3$
„ „ ventrales	10 „ $1 : 645\frac{8}{10}$	34 „ $1 : 33\frac{6}{10}$
„ „ per foramen ovale		1 „ $1 : 1141$
„ „ quarum operatio facta est	17 „ $1 : 379\frac{9}{10}$	26 „ $1 : 43\frac{9}{10}$
	6458	1141

Ex-

Expert. Monnikhoff (1) in mille hominibus		inter quos Viri aut pueri erant 741		Faeminae aut puellae	259
hernias observavit	1229	in Viris	922	in Faeminis	397
„ „ inguin. dupl.	205	„ „	173	„ „ „	32
(in utroq. latere 410)					
hern. inguin. dextr.	467	„ „	379	„ „ „	88
„ „ sinistr.	213	„ „	158	„ „ „	55
„ femor. duplices (in utr. lat. 14)	7	„ „	1	„ „ „	6
„ „ dextr.	39	„ „	11	„ „ „	28
„ „ sinistr.	22	„ „	6	„ „ „	17
hern. umbilicales	31	„ „	7	„ „ „	28
„ inguinales 1 „ femorales 2	3	„ „	0	„ „ „	1
„ ing. dextr. 6 „ fem. sin. 6	12	„ „	2	„ „ „	4
„ inguin. sin. 3 „ fem. dextr. 3	6	„ „	1	„ „ „	2
hernias duplices in regione inguinal. 2 et femoral.	4	„ „	1	„ „ „	1
hernias in regione ing. et fem. dextr.	2	„ „	1	„ „ „	0
hern. inguin. 1 „ umbil. 1	2	„ „	1	„ „ „	0
hern. inguin. 1 „ umbil. 1	2	in puero	1	„ „ „	0
hern. ing. dextr. 1 „ umbilical. 1	2	„ „	0	in puella	1

Ur-

(1) Opgave eener menigte breuken of scheurzels, waargenomen door Johannes Monnikhoff te Amsterdam; in Verhand. van de Haarlemsche Maatschappij, XVII Deel, 2 Stuk, Haarlem 1777, pag. 231 seqq.

Urbis Londinensis Societas pro fasciis hernialibus (City of London Truss-Society), quae anno 1807 condita est, cuique ipsa Regia Majestas praeest, ab anno millesimo octingentesimo octavo usque ad vicesimum tertium, 37,451 herniosorum curam habuit, inter quos 2,300 herniam congenitam exhibuerunt.

Fascias tulere

infra 10^{num}	aetatis annum			....	2758
intra 10	et	20	« «	....	1827
« « 20	«	30	« «	....	3313
« « 30	«	40	« «	....	5343
« « 40	«	50	« «	....	5904
« « 50	«	60	« «	....	5365
« « 60	«	70	« «	....	3847
« « 70	«	80	« «	....	1504
« « 80	«	90	« «	....	155
« « 90	«	110	« «	....	0
					300,16

Quemadmodum ex ultima hacce Tabella confici quodammodo potest, quibusnam aetatibus herniae frequentissimae sint, ita e praecedentibus judicium de earundem frequentia varia, sexus et abdominis loci, in quo obtinent, ratione, facile institui poterit.

Quod autem ad latus attinet, in quo herniae frequentissime fiant, a nova Societate Londinensi, pro herniosis creata, calculus datus est, secundum quem herniae inguinales lateris dextri ad illas lateris sinistri sunt = 51 : 34, atque herniae crurales

les lateris dextri ad crurales l. sinistri = 19 : 11. Cl. *Cloquetus* inter 457 hernias, quas observavit, 246 in latere dextro, 187 in latere sinistro et 24 in linea mediana invenit. Conditionis hujus, quam Chirurgi ubivis observarunt atque notarunt, quamque praecedentes etiam indices docent, rationem partim hepatis, quam in intestina lateris dextri exercet, pressioni, partim mesenterii, a sinistris ad dextra inclinantis, dispositioni, partim denique consuetudini in latus dextrum decumbendi in eoque dormiendi, tribuendam esse, probabile admodum videtur. Princeps autem hujus phaenomeni ratio, uti hoc ingeniose observavit *Cloquetus*, quaerenda videtur in frequentiori brachii et universi lateris dextri exercitatione. Quotiescumque enim in onus quoddam sublevandum aut supportandum vires intendimus, viscera contra inferiorem abdominis parietem premuntur, in directione lineae perpendicularis, quae ex inferiori parte diaphragmatis, quod praecipuum agens esse videtur, descendit. Si itaque onus quoddam, utraque manu auxiliante, in altum tollamus, linea, in cujus directione pressio versus inferiora exercetur, in mediam pelvis partem cadet, et itaque annuli inguinales et crurales, in utroque latere, eandem pressionem experturae sunt. Contra, sola manu dextra ad onus quoddam tollendum in auxilium vocata, aut pondere humeris tantum dextris imposito, truncus sinistrorsum inclinatur, abdominis in sinistro latere parietes crassitiei et roboris incrementum experiuntur, dum dextri lateris parietes eodem tempore distenduntur, tenuiores redduntur et minus resistere possunt pres-

sio-

sioni diaphragmatis, in annulum abdominalem et ligamentum *Poupartii* in dextro latere tantum agentis. Haec Theoria si vera sit, in hominibus, ingeniose monente *Cloqueto*, sinistro brachio per excellentiam utentibus, herniae inguinales et femorales sinistrae frequentissimae esse debebant.

Quidquid sit, explicatio haec probabilis certe videtur propter aliarum laesionum, quae causam mechanicam agnoscunt, majorem etiam in latere dextro frequentiam: sic v. c., secundum *Dupuytreni* observationem, talipedes lateris dextri ad illos sinistri sunt, uti tria ad unum.

Herniarum abdominalium doctrinam, qualis, nostro tempore, Chirurgis in Gallia esse videtur, explicaturis, ut brevitati studeamus, sufficiat, si de illis, quae ad hernias in universum pertinent, pauca dicamus, et dein nonnulla de herniis inguinalibus et femoralibus seorsim addamus.

Taxin Parisiis cum optimo eventu institui vidimus, saepius mirati magnum aegrotorum numerum, quorum herniae hoc modo in Nosocomiis reponebantur. Haec autem legentes, Lectores me rogabunt, quamnam peculiarem encheiresin Chirurgi in Nosocomiis Parisinis ad herniarum repositionem adhibeant? Nullam, nisi velis, quotidianum exercitium magnam Chirurgo dexteritatem conciliare. Duplex autem adesse videtur ratio, quae rem poterit explicare, frequens nimirum Venae Sectionis atque hirudinum usus, et tempus, quo Taxis instituitur, matutinum. Quid sanguinis detractio universalis et localis ad Taxin facilitandam facere possint, nimis notum est, quam

ut

ut his inhaereamus. Quodnam autem tempus hora sexta vel septima matutina aptius eligi potest, quo herniarum repositio instituatur: omnes partes quiete nocturna laxatae sunt et, quod etiam notandum, tractus intestinorum nondum repletus est, vel Clysmate saltem facile evacuari potest. Balnea tepida, quorum usu se plures hernias incarceratas reposuisse testatus est *Desaltius*, in Nosocomiis Parisiensibus non adhiberi vidimus.

Bracheria elastica, ut in aliis regionibus, in Gallia etiam principatum obtinent, quamvis in apta eorundum conformatione et constructione non illos, quos in aliis, Chirurgi in Gallia fecisse videantur progressus (1).

Quod ad hernias attinet incarceratas, duplicem Chirurgi in Gallia speciem obtinere statuere solent, acutam nimirum vel inflammatoriam, et lentam vel chronicam. Ad quam utramque speciem etsi pleraeque herniae incarceratae possint referri, atque divisio haec maximum etiam usum practicum habeat, tertia tamen species seorsim memorari et praecedentibus addi meretur, incarceratio nimirum spasmodica, quae peculiarem suam, a reliquis diver-

(1) Roussille-Chamseru, Vues théoriques et pratiques sur la meilleure manière de construire les bandages herniaires; dans les Mém. de la Soc. Méd. d'émulat. Tom. IV, Paris ann. IX, pag. 177 seqq. Lafond, Considérations sur les bandages herniaires usitées jusqu'à ce jour etc., Paris 1818. J. Cloquet, dans le Dict. de Médecine en 18 voll., in voce Brayer, Vol. IV., Paris 1821, pag. 498 seqq. Richerand, Histoire des progrès récens de la Chirurgie. l. l. — Qui auctores quum argumentum hoc uberius explicarint, bracheriorum in Gallia conformatio a nobis mitti posse videtur.

versam, indolem, symptomatum, qua stipatur, remissione et signis praeterea, e pulsu et respiratione petitis, indicare atque peculiaria etiam remedia in sui sanationem requirere videtur. Cujusnam autem generis herniarum incarceratio sit, ilico certe, si nullis remediis tolli possit atque symptomata ipsa, eandem indicantia, persistant, in operatione cruenta auxilium quaerendum est. De tempore, quo haec institui debeat, consilia atque praecepta, quae hactenus a Chirurgis data sunt, maxime saepe differunt atque nulla eorum adeo sibi constant, ut tuto semper adhiberi possint, quapropter speramus fore, ut argumentum hoc Responso ad Quaestionem, in patria nostra ante aliquod tempus propositam, novam et clariorem lucem sit accepturum. Cum sententia Cl. *Marjolini* (1), dicentis, minus tempus, per quod adfuit herniae incarceratio, quam symptomatum, quibus stipatur, magnitudinem aut vehementiam operationis faciendae necessitatem et tempus indicare, plerique conveniunt Chirurgi, et saepe tamen, de herniotomiae necessitate convicti, in eadem facienda adeo tardi sunt, ut illam se demum nimis sero et frustra instituisse videant. *Dupuytrenus* saepius monere solet, quam sententiam etiam professi sunt Viri Cll. *Pelletan* (2) et *Larrey* (3), sibi melius videri, ope-

(1) Vid. Thèse sur l'opération de la hernie inguinale étranglée, Paris 1812.

(2) Vid. Clinique Chirurgicale, ou Mémoires et Observations de Chirurgie Clinique, Vol. III, pag. 24.

(3) Vidd. Mémoires de Chirurgie militaire etc., in pluribus Ob-

rationem nimis cito, quam nimis sero, instituere, atque propterea etiam aegrotorum, propter herniam incarceratam in Nosocomio auxilium quaerentium, operatio eodem plerumque die institui solet. Nihilominus tamen multi in Nosocomio Hôtel-Dieu, post institutam herniotomiam, moriuntur, quod ut intelligatur, probe tenendum est, aegrotos illos, antequam in Nosocomium ferantur, per longius saepe tempus incarcerationem et gravissima ejusdem symptomata jam esse perpessos. Ad novam incarcerationis speciem Chirurgos attentos fecit Cl. *Dupuytrenus*. Docuit nimirum intestina, post factam herniotomiam, non raro ab ipso peritonaeo iterum incarcerari, id est inter labia vulneris, in sacco hernioso facti, collocari, ab his urgeri et symptomata, illis, quae adfuerunt, analoga, iterum producere. Symptomata haec, quae saepius, quam vulgo statuitur, post herniotomiam observantur quaeque colicae, peritonaei inflammationi similibusque causis tribui solent, e peculiari illa conformatione morbosa intelligere et explicare non potuisset *Dupuytrenus*, nisi hoc phaenomenon diligenti corporum, post herniotomiam mortuorum, sectione observasset.

Intestina Gangraenam jam experta reponere etiam solebat Cl. *Dupuytrenus*, multiplici experientia edoctus, partes, quae jam penitus mortuae videntur, non raro posse servari, modo causa cesset, qua Gan-

servationibus. Conf. etiam lectu dignissima morbi historia, quam dedit Vir Cl. in Journal. Complém. etc. Cah. 20, Févr. 1820, pag. 315 seqq.

Gangraena originem suam habuit: intestina autem talia ita reponi, ut versus exteriora retrahi iterum possint, neque vulnus tunc per primam intentionem sanari posse, vix opus est, ut moneam. — Locus hic permittit, ut de ani artificialis sanatione, qualis a *Dupuytreno* commendata et in usum vocata est, pauca quaedam moneamus. Quum nimirum praeternaturalis intestini cujusdam versus exteriora hiatus, cui ani artificialis nomen est, vitium constituat inter turpissima et foedissima referendum, neque semper gravioribus et periculum minantibus symptomatibus destitutum, non mirandum est, ejusdem sanationem omnium fere temporum atque regionum Chirurgos fuisse expertos, atque in Gallia etiam varias hunc in finem methodos a *Sabatierio*, *Duvergerio*, *Choparto*, *Peyronio*, *Louisio*, *Pipleto*, *Desaltio* aliisque fuisse propositas. Singulas illas methodos plura premunt incommoda (1), neque verisimile est, morbosam hanc continui intestinorum solutionem, tali unquam ratione posse sanari, qualem nullae comitentur difficultates. Quidquid autem sit, propter optimos, quos hactenus Viro Cl. praestitit, usus indicari certe meretur methodus, quam, praecedentis anni initio, cum Academia Regia Scientiarum communicavit (2) et saepius jam in Nosocomio, cui praeest, atque in Praxi sua frequen-

(1) Conf. Cl. P. F. Heylisgers, Mémoire sur les inconvéniens, que présente l'invagination des intestins; dans les Mémoires de la Société Médic. d'émulat, I année, Paris ann. VI, pag. 120 seqq.

(2) Vidd. Archives générales de Médecine etc., Juin 1825, pag. 275 seqq.

quentissima adhibuit Illustrissimus *Dupuytrenus*. Secundum hujus Viri Clarissimi nimirum sententiam, si per Gangraenam pars quaedam intestini destructa sit, in primis si non totum diametrum tubi intestinalis, sed ejusdem partem tantum Gangraena invaserit, a latere, quo mesenterium cum tractu intestinorum cohaeret, angulus magis minusve acutus (promontoire, éperon) formatur, qui, septi membranacei adinstar, utrumque intestini extremum separat, et sic canalem impervium reddit; ita ut excrementa e vulnere externo facilius exeant, quam extremum inferius, quod ad anum ducit, ingrediantur. Ab hujus promontorii aut plicae transversalis, faecibus transeuntibus maximum obstaculum praebentis, remotione vel destructione ani artificialis aut praeternaturalis sanatio incipere debet. Hunc in finem methodo, quam antea adhibebat (1), non amplius utitur *Dupuytrenus*, sed aliam, recentiori tempore, saepissime expertus est (2). Utitur nimirum instrumento, quod Enterotomum nominavit, e duobus cruribus, forcipis adinstar secum invicem junctis, formato: crura haec, internam suam superficiem asperam et dentatam habentia (pinces à mors) articulo sibi junguntur, ita ut ad se invicem accedere et firmiter sibi apprimi possint per cochleam (vis de rappel), quae utrum-

(1) Vid. Doct. Logger, l. l.

(2) Secundum Seileri (ad Scarpae libr. laudand. pag. 223) sententiam methodus haec antea jam in Germania commendata est, in Diss. Doct. Schmalkalden, praes. Kreyssig, de nova methodo intestina uniendi. Vitebergae 1798.

utrumque extremum aut manubrium perforat (1). Enterotomi crura in duo intestini orificia, ad altitudinem pollicis unius et dimidii, separatim introducuntur, sensim et quotidie propius sibi invicem admoventur, ita ut promontorium inter se comprehendant et continuo firmius premant. Pressione hac Gangraena partem prominentem, inter crura enterotomi positam, invadit, qua propter haec post aliquot dies separatur et labitur. Parte, quae transitui faecum obstabat, remota, enterotomi cruribus in reliquam etiam utriusque extremi partem pressio quaedam levior exercetur, qua, dum utraque intestini tunica externa sive serosa sibi imposita est, inflammatio levior exsudativa suscitetur, quae utraque extrema in toto ambitu (fistula tantum externa, per pressionem, alio modo perficiendam, vel sponte etiam sananda, relicta) iterum conjungat. — Quo auxilio in usum vocato, ex 41 aegrotis, quorum viginti et unus *Dupuytreni* curae mandati erant, non nisi tres mortui sunt, novendecim autem a vitio suo turpissimo, aliam, ut videbatur, sanationem prorsus negante, liberati sunt, dum novem fistulam minorem externam retinuerunt, fascia comprimente tamen facile claudendam.

A tempore, quo *Hallerus* (1), *Wrisbergius*

(1) Vid. Henry, Coutelier etc., Précis descriptif sur les instrumens de Chirurgie anciens et modernes, Paris 1825, 8vo. figur. ad pag. 54.

(2) Programma de herniis congenitis; in Oper. Anat. Argument. Minor. Tom. III, Lausannae 1768, pag. 311 seqq.

gius (1), *Blumenbachius* (2), *Langenbeckius* (3), *Seilerus* (4) et alii in testium ex abdomine descensum inquisiverunt eundemque tam egregie explicarunt, de herniis inguinalibus doctrina magnos fecit progressus. Partium nimirum, in quibus herniae oriuntur, Anatome pathologica accuratius investigata, multiplici, quam saccus herniosus offert, conformationis varietate cognita, et ratione, quae inter herniam inguinalem et inter funiculum spermaticum atque arteriam epigastricam locum habet, explicata, ad illum denique haec doctrina pervenit perfectionis gradum, quo illam, nostro tempore, gloriari posse gaudemus. De singulis Gallorum, quae in his habuerunt, meritis vix dicere possumus: prae reliquis autem, quae notari possent, verbulum dicere liceat de saccis illis spuriis, qui in sacco hernioso principe nonnunquam solent observari. Saepius, quando herniarum operationi adstitimus, sacculos hos spurios, vel sacci herniosi lobulos, observare nobis licuit, atque semper magnam

(1) Vidd. Observationes anatomicae de testiculorum ex abdomine in scrotum descensu etc.; in Comment. Soc. reg. Scient. Gott. 1778.

(2) Vidd. Institut. Physiolog., Sect. XXXVI, edit. 1798, pag. 392 seqq.

(3) Vid. Commentatio de structura peritonaei, testiculorum tunicis eorumque in scrotum descensu etc., Gotting. 1817. fol. cum 24 Tab. aen.

(4) Vidd. A. Scarpa's Neue Abhandlungen über die Schenkel und Mittelfleisch-Brüche etc. mit einer Anleitung zu der Zergliederung der Leistengegend und einer Erläuterung der Entwikkelungs-geschichte der Hoden, vermehrt von D. Burkhard Seiler etc., Leipzig 1822. fol. mit Kpfr.

nam vidimus difficultatem, quam haec sepimenta varia in operatione solent afferre. Horum sacculorum formationem plerique Chirurgi vegetationi cuidam telae cellulosae, ad externam peritonaei, intestina egressa includentis, superficiem pertinentis, tribuere solent: *Cloquetus* autem singularem prorsus, et ulterius comprobandam, in his professus est sententiam, statuendo, singulos illos lobos totidem esse saccos herniosos, ante longius breviusve tempus formatos et ab intestinis, ex abdomine egressis, iterum liberatos (1). Quae sententia certe magis est ingeniosa, quam experientiae consentanea. — Quod in his saccis herniosis spuriis, per secretionem serosam, major minorve aquae quantitas, intra breve temporis spatium, formari possit, ex analogis Oeconomiae humanae phaenomenis satis facile certe intelligi potest. Notatu dignum autem videtur, quod herniam inguinalem completam et incompletam observare mihi licuerit, cum hydrocele complicatam, cujus nullum ante intestinorum elapsum adfuerat indicium, utraque tamen hernia non ante aliquot menses, sed paucorum dierum tempore, orta.

Hujus loci non est, ut, quae inter herniam inguinalem externam (hernie oblique) et internam (hernie directe) intercedunt, indicemus criteria, quum

(1) Quomodo intestina sua sponte in abdominis cavum retropelli possint, data opera explicare conatus est Vir Clarissimus, qui plures modos, quibus Natura hoc operari possit, indicavit: quae autem apud ipsum auctorem legantur.

quum vix Chirurgus inveniatur, cui nostro tempore haec incognita sint: illud autem verbo monendum videtur, Germanos eorum explicationem *Hesselbachio*, Gallos *Desaltio*, *Marjolino* aliisque, nostros autem Chirurgos eandem *Bonnio* tribuere solere. *Bonnius* nimirum, Anatomes quondam et Chirurgiae Professor Amstelodamensis Clarissimus, in Commercio Epistolico, quod cum *Geunsio* habuit, primus fuisse videtur, qui utramque hanc herniarum inguinalium speciem indicaverit et criteria quaedam, inter utramque invenienda, descripserit (1). Negari autem nequit, Cl. *Hesselbachium* criteria haec melius definivisse, nova indicasse atque universam hanc doctrinam magis perspicue et diligentius explicasse (2). Neque demum Chirurgis in Gallia, quod ad utramque hanc herniarum inguinalium speciem attinet, sua denegare possumus merita. — *Dupuytrenus* in universum doctrinae de herniis inguinalibus, qualis in Germania est, assecla esse videtur eandemque etiam, aegrotorum operationem facturus, paucis verbis sed diligenter explicare solet. Quid mirum itaque, quod eandem in sacco hernioso secando directionem

(1) Vid. Antwoord aan den Heere M. van Geuns over eene binnen den buik verstropte darmbreuk etc. door A. Bonn; in Verhandel. van de Hollandsche Maatschappij der Wetensch. te Haarlem XX Deels 2 Stuk, Haarlem 1782, pag. 463 seqq. 511 seqq.

(2) Vid. F. C. Hesselbach's Anatomisch-Chirurgische Abhandlung über den Ursprung der Leisten-brüche, Würzburg 1806. 8vo. —— Neueste Anatomisch-pathologische Untersuchung über den Ursprung und das Fortschreiten der Leisten — und Schenckelbrüche, Würzburg 1815. 4to mit XV Kpfr.

nem sequatur et annuli abdominalis sectionem ejusdem dilatationi mechanicae praeferat. *Dupuytreni* in herniis secandis dexteritatem et subtilitatem semper mirati sumus atque a Viro Cl. didicimus, sine plica transversali formata herniae integumenta optime posse secari (1). — De herniis inguinalibus completis sive congenitis optime etiam meritus est *Larreyus*, qui Vir Cl. observatione se didicisse dicit, earundem incarcerationem et a teste ipso et a sacci herniosi, sive tunicae vaginalis, collo saepius obtinere, funiculi spermatici vasa ab intestinis saepissime comprimi et vel obliterari solere, atque hinc esse testis ipsius atrophiam, ejusdem autem nervis pressionem plerumque innocuam esse vel eorundem crassitiem saltem non imminui; castrationem denique saepius post herniotomiam indicari (2).

Quemadmodum herniarum inguinalium doctrina, inter Batavos a *Bonnio*, *Campero*, *Sandifortio* et aliis, atque inter Germanos a pluribus Viris Clarissimis et Expertissimis, de quorum meritis jam diximus, investigata potissimum est, ita Gallis praecipue herniarum cruralium doctrina, in quam accuratius inquirant, placere videtur, atque revera hi plura in eadem explicanda praestiterunt. De herniarum femoralium doctrina enim, praeter *Breschetum*, qui in earundem formationem accuratius in-

(1) Legantur, quae de his monuit Bellius in System of Surgery, Vol. I. Edinb. 1790, pag. 321 seq.

(2) Vid. Larrey, Notice sur les hernies congéniales, suivie d'une observation remarquable sur cette espèce de hernie etc.; dans le Journ. Complém. etc. Cah. 65, Nov. 1823, Tom. XVII, pag. 82 seqq.

inquisivit (1), optime meriti sunt Viri Clarissimi *Béclard* et *Roux*, ille, dum vivebat, penitiori in primis Anatomes cognitione, hic Chirurgica dexteritate clarus, qui quippe explicaverint, non in quacumque hernia femorali partes per annulum cruralem exire, verum saepissime easdem per orificium pro vena saphena relictum foras prodire. Haec quamvis optime indicaverint Viri illi Clarissimi, monendum tamen est, eandem rem explicasse *Hesselbachium* et Angliae complures Chirurgos. — Quamvis herniae femorales ad internum vasorum cruralium latus plerumque inveniantur, atque arteria egigastrica itaque ad externam earundem partem inveniatur, varietates tamen in vasorum decursu non raro inveniuntur, in quibus explicandis operam prae caeteris posuit *Cloquetus*, qui in centum triginta quatuor Observationibus illa, quae herniae in cadaveribus exhibuerunt, descripsit. Praeter hunc Virum Clarissimum, in Gallia in hanc rem inquisiverunt *Dupuytrenus* atque *Lisfrancus*, in Germania autem Classicus de herniis auctor *Hesselbachius* (2). Non raro nimirum fit, ut arteria obturatoria ex arteria iliaca externa vel ex arteria epigastrica, aut ut utraque haec ex arteria crurali, sub ligamento *Poupartii* egressâ, oriatur, atque ut obturatoria tunc ad internum colli herniarum latus, pone ligamentum *Gimbernati*, in pelvim descendat.

De

(1) Vid. Essai sur les veines du Rachis, la formation du cal, la hernie fémorale etc., Paris 1819. 4to avec fig.

(2) Vid. A. K. Hesselbach, Ueber den Ursprung und Verlauf der unteren Bauchdecken - Schlagader und der Hüftbein - Schlagader etc., Bamberg und Würzb. 1819. 4to. mit 6 Abb.

De frequentia hujus in vasorum decursu varietatis Anatomici et Chirurgi in Gallia nondum conveniunt. Arteriam obturatoriam frequentius fere ex epigastrica quam ex iliaca interna originem suam habere, statuit Cl. *Cloquetus:* Cl. *Lisfrancus* contra, viginti cadaverum sectione facta, in uno tantum hunc obturatoriae ex epigastrica ortum inveniri asserit. Quidquid autem sit, in eo Cl. *Dupuytrenus* atque *Lisfrancus* conveniunt, herniarum cruralium in latere interno sectionem, hactenus ab omnibus fere commendatam, relinquendam esse atque hanc potius secundum lineam, quae ex annuli cruralis centro, ad lineae sesquialterae a spina ilei superiori et anteriori distantiam, versus superiora et interiora ducitur, institui debere. Illud praeterea hi Viri Clarissimi dare solent praeceptum, ut cultrum, quo integumentorum sectio perficitur, magis premendo quam serrando agere debeat, qua quippe encheiresi arteria epigastrica, si per infortunium sese offerat, cultello cedat neque laedatur.

Sequentes morborum historias ad ultimi hujus Capitis calcem brevissime notare liceat. — Faemina quinquaginta trium annorum et quinque liberorum mater, post quarti infantis partum, tumorem in sinistri lateris regione inguinali perceperat. Per sequentis infantis partum tumor, hactenus parvus, major factus est et dein continuo increvit. Initio tumor herniosus facile reducebatur, postea autem pars tantum repelli poterat. Tempore, quo in Nosocomio auxilium quaerebat faemina, tumor piriformis, cujus tamen apex aut pedunculus sat magnam latitudinem habebat, inveniebatur. Octo-

decim vel viginti pollicum longitudine instructus erat, a superiori octo vel decem pollices latus erat, latitudo autem maxima quindecim pollicum erat, dum circumferentia aut ambitus quadraginta quinque pollices referebat. Tumoris, ad genua usque dependentis, venae majores violaceae apparebant, cutis ad inferiora crassa, rubra, ad attactum mollis, partim autem elastica, sentiebatur. Lipoma fuisse, e descriptione hactenus data facile credere posses; sed revera hernia erat, quamvis determinari non posset, num femoralis, an inguinalis esset. Mesenterium, omentum, intestina tenuia et forte reliqua etiam organa abdominalia in hernia hac continebantur. Faemina hactenus nullam plane herniae curam habuerat, neque ad ipsius sanationem Nosocomium intraverat: hoc autem ingressa erat, ut, quae in inferiori sacci herniosi parte, cum substantiae deperditione, locum habebat, ulcerationi medicatio fieret. Notatu dignissima praeterea in hac aegrotante erat Struma enormis, in tres partes vel lobos quasi divisa. — In infantibus herniae umbilicalis ligaturam, ad methodum *Desaltii*, qui saepius illam in Nosocomio Hôtel-Dieu instituit, perficiebat *Dupuytrenus*. Qua methodo certe partes, quae saccum herniosum formant aut intestinorum egressum permittunt, optime saepe concrescunt: dum tamen ab altera parte graviores peritonaei inflammationes aliaque incommoda illam insequuntur. — Faemina, quinquaginta annorum aetatis, magnam corporis maciem referens, propter morbum catarrhalem Nosocomium intraverat. Post aliquot dies hernia orta est, vel saltem, antea forte jam

prae-

praesens, molestiis levioribus aegrotae innotuit. In regione crurali sinistra tumor aderat rotundus, pedunculatus, cute tectus rubente et inflammata. Dolores colici nunc cum alvi obstructione oriebantur, sed vomitus nondum aderat. Viginti quatuor horarum tempore incarceratae herniae symptomata graviora redduntur. Integumentorum incisione et dissectione facta, tela cellulosa pure repleta inveniebatur, intestina griseum colorem contraxerant et Gangraenam, cujus suspicio antea jam aderat, exhibebant. Intestino tenui vulnusculum eo consilio infligebatur, ut canalis, quo faeces emitti possent, intruderetur. Per cannulam, faeminarum catheterismo inservientem, faeces insigni copia prodierunt. Post operationem magna aegrotanti erant morbi levamina. Sequenti autem die Gangraenae, ut videtur, effectu, mortua est. — Utramque hanc morbi historiam, quia peculiare quid continent, breviter notavi: si enim de singulis herniotomiis, quas Parisiis vidi, vel verbulum tantum dicere vellem, vix finem inveniret haec, quam in nimium volumen excrevisse doleo, de Gallorum Chirurgia Observationum Sylloge.

J. Dupuy, *Essai sur les hernies inguinales considerées en général*, Paris ann. XI (1803) 8vo.

A. J. B. Louis, *Diss. sur la hernie inguinale*; Paris ann. XI. 8vo.

A. N. Carette, *Diss. sur la hernie sus-pusbienne ou inguinale*, Paris ann. IX. 8vo.

L. N. P. Mullot, *Diss. sur le bubonocèle*, Paris ann. XI. 8vo.

P. C. de la Barre, *Des hernies en général et en particulier du bubonocèle*, Paris ann. XII. (1804) 4to.

P. L. A. Tuffet, *Essai sur l'étranglement des hernies abdominales*, Paris 1804 4to.

V. F. A. Legoupil, *Diss. sur l'opération de la hernie inguinale étranglée*, Paris ann. XII. 8vo.

P. J. Houtou-Labillardière, *Diss. sur le traitement de l'enterocèle inguin. avec étranglement et Gangrène*, Paris an. XII. 4to.

A. J. Maryé, *Diss. sur la hernie crurale*, Paris 1806. 4to.

J. F. Frebault, *Observations sur les hernies abdominales*, Paris 1806. 4to.

J. M. Benoit, *Diss. sur les hernies etc.*, Paris 1807. 4to.

P. Bouchard, *Essai sur les hernies*, Paris 1807. 4to.

E. Sucret, *Essai sur les hernies inguinale et crurale*, Paris 1808. 4to.

M. Dorgain, *Propositions sur les hernies*, Paris 1808. 4to.

A. J. Serré, *Diss. sur la hernie sus-pubienne.* Paris 1809. 4to.

J. N. Marjolin, *Thèse sur l'opération de la hernie inguinale étranglée*, Paris 1812. 4to.

Amyot, *De la hernie sus-pubienne*, Paris 1813. 4to.

P. L. Beckers, *Diss. medico-chirurgica de hernia inguinali*, Parisiis 1813. 4to.

L.

L. M. Foullioy, *De l'étranglement de l'intestin et de l'épiploon dans les hernies inguinales*, Paris 1813. 4to.

M. F. Cochet, *Diss. sur la hernie sus-pubienne ou inguinale*, Paris 1814. 4to.

J. F. V. Mayot, *De la hernie crurale ou mérocèle*, Paris 1814. 4to.

C. Raveneau, *Essai sur le bubonocèle*, Paris 1814. 4to.

J. Cloquet; vid. pag. 105.

A. Dousse, *Diss. sur la hernie inguinale étranglée*, Paris 1815. 4to.

G. Nicholl, *Essai sur les hernies de l'abdomen*, Paris 1815. 4to.

P. Vacquier, *Diss. sur la hernie inguinale ou sus-pubienne*, Paris 1819. 4to.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag. 72 lin. 14 adde London 1824.
— — — 22 —— R. W. Bampfield, *An essay on Curvatures and Diseases of the Spine, including all the forms of spinal distorsion*, London 1824. 8vo.
— 73 — 9 —— C. G. Ludwig, *Tractationis de Distorta spina dorsi pars prima, De distorsionis differentiis; in Adversar. Medico-Pract.* Vol. II, Lips. 1771, pag. 327 seqq. *Pars secunda, De distorsionis causis*, ibid. pag. 538 seqq. *Pars tertia, De remediis hujus distorsionis*, ibid. pag. 579 seqq.
— 91 post Not. (2) adde — Liber ex Bichati ingenio verisimiliter non profectus, eodem saltem indignus.
— 147 in Not. (1) pro *Medicinae* leg. *Medicae*
— 264 lin. 6 pro Magedie leg. Magendie.

ADDENDA ET CORR

pag. 72 lin. 14 adde London 1824.
— — — 22 — R. W. Bampfie *vatures and Di cluding all the fo* London 1824. 8v
— 73 — 9 — C. G. Ludwig, *spina dorsi pars differentiis; in* Vol. II, Lips. 17 *secunda, De d* pag. 538 seqq. *P hujus distorsionis*
— 91 post Not. (2) adde — Liber e risimiliter non indignus.
— 147 in Not. (1) pro *Medicinae* leg
— 264 lin. 6 pro Magedie leg. Ma

pag. 72
— —
— 73
— 91
— 14
— 26